6
21-g
54 M

E 3/23

6
11 A
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

21-f-11

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS
CARMINVM LIBRI V.

Item

Ejuſdem Authoris in Aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophiâ Libb.IV.

LEONINA PARAPHRASIS.

Graviſſimis firmata ſententijs ad MARCVM Filium.

Quibus acceſſerunt

MARCELLINI GENVENSIS CARMINVM LIBER,

Nec non

AVRELII BRIXIENSIS EPIGRAMMATA

quædam.

Omnia nunc primùm in lucem prodeunt

Ex Bibliothecâ Laurentij Legati.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

SOC. IESV BIBL. SEC. COL. ROM. IHS

Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1674. Superiorũ permiſſu.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO D.
DOMINICO MARIÆ
GANDVLPHO,
PATRITIO BONONIENSI
Laurentius Legatus Cremonenſis S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LEthæis prope merſus vorticibus, in tabula ſuorum Poematum bono fato ad me appulit IOANNES GANDVLPHVS, qui proinde meæ Bibliothecæ hoſpitio exceptus, jam excuſsis naufragij reliquijs ad te, Generoſe DOMINICE, ſuorum Gentilium optimum commigrare decrevit. Ad ſuos ita redire parantem nec retinere, nec retardare æquum erat. Quamobrem ſuo genio, & jure uti ſinens ad te venientem dimiſi. Nec enim dubitandum eſt quin hilari ſis fronte accepturus; quippe ex Maioribus tuis Poetam, non modo exterorum, ſed & tuæ, tuorumque memoriæ jandiu mortuum, redivivum ſuſcipies. Et qualem, Dj boni, Poetam! Qui nempe (vt de Pierio Valeriano ipſius coætaneo ſcribebat Io. Franciſcus Roboreus, Taurinenſis Antiſtes, & Arcis Adriani Præ-

fectus) nil niſi ſanctum, niſi decorum, niſi honeſtum, ac ingenuum meditabatur, *quemadmodum ex ejus carminibus deprehendes. Hæc ſiquidem aut Sacra ſunt, vt Bucolica, quæ, ſi Philarchum de Mæcenate ſuo Eclogam excipias, omnia Chriſtum concelebrant: Elegiæ, & Odæ de Virgine Deiparà, nec non Epigrammata de Sanctis Cælitibus; aut Moralia, vt Paraphraſis in aurea Catonis Carmina de Morali Philoſophià, & alia per Volumen occurrentia; aut ſummorum Principum, doctorumq; Virorum Encomiaſtica, vt quæ de Pontificibus, & Cardinalibus, Imperatore, ac Regibus ſuo tempore florentibus, aut amicis doctrinà inſignibus panxit. Quæ cum non modo argumentorum nobilitate, verum & ſtyli elegantià æternitatem promererent, à blattis, & carie vindicanda cenſui, ne theſaurus relinqueretur vbi ærugo, & tinea demolitur. Accedebant non vulgaria curandæ editionis motiva, meritum Bononiæ præconium in XV. primi Libri Elegià, nec non Bononienſium aliquot ab hominum memorià exulantium laudes per Opus diſſeminatæ: quas ſi ſupprimi non ſinerem, aliquod nobiliſſimæ Civitati, cui pluribus nominibus teneor, grati animi monumentum perſolvere videbar. Præterquàm quod ita non modo ſervatam*

tum per me Civem Patriæ reddebã, ſed & pleroſque cum eo Concives in publicam revocabam celebritatem: animoſq; ad majora ejus generis promenda ſumebam. Quandoquidem, ut ad Græcæ Literaturæ profeſſionem iſtic olim admiſſus ceciniſſe memini.

Ἐμ' οὐκ Ἀθᾶν', ἐμ' οὐκ Ἑλλὰς παλαιά,
Με μήτ' ἄνασσα Ῥώμα,
Εἴτε πολύχρυσον
Με Ζηνὸς Βασιλήϊον
Δῶμα Παρισιάκοιο,
Μεγάλης τε κραταιά πόσ' ἐκτὸς
Κεῖται Ἀγηνορίδων
Κυρανίης Εὐρώπας,
Ὅντ' ἐν ἀμφοτέρῳ κόσμῳ ἀνάκτορῳ
Ἤχασι τοίως ἐκ καλὸν
Μουσᾶν ἄδον, ὅσον Λατίνη
Φελσίνη ἐν Βασίλισσα Ῥῆνε.
Δοκίμοισι γὰρ ἐνὶ φρεσὶ
Παντοίων θωατώτερον ἐστὶ
Μνημεῖον χαριτοεώντων.
Τί Μέντορος μὲν, καὶ τί Φοίνι-
κος πολυμνάμονες οὐκ εἰσὶν
Ὅμηρος, Ἀχιλλεὺς!

Sive, ſi eiſdem metris redditum placeat:

Me non Athenæ nobiles, nec Hellas
Vetus, nec Imperatrix

Roma, nec exundans
Auri flumine, Gallici
Regia magna Tonantis;
Neque grandia Regna quot extra
Sunt ſita (Agenoridum
Imperium) amplam Europam
Trans fines Priami, trans Mare Atlanticum,
Sic ad opus me Theſpium
Devinctum ſibi commovent, vt
Oenotrij Domina alta Rheni.
Niveis enim in Animabus
Nil æquè valet, ac memor vſus
Accepti Benefacti.
Quas Mentor, & Phœnix favillas
Grati animi non ingenuit
Homero, & Achilli?

Quia porrò hæc Gandulphi Carmina in αὐτογράφῳ confuſa erant, prout Auctori ſcribenda caſus obtulerat, in claſſes redigere viſum eſt, & in eum, quem præ ſe modo ferunt ordinem, diſponere, numeris vbicunque adjectis, vt facilius, ſi contingat, citari poſsint. Cæterum in ijs recognoſcendis, à legibus, quas Cęsar Tuccæ, ac Varro præſcripſit in AEneide, non declinatum. Dum itaq; in his ad te ſoſpes redit Ioannes tuus, in ejus integritate meum

in

in te legas obſequium velim. Natum hoc ex ijs, quæ de te mihi prædicabat Muſarũ, ac Pithus Amor Octavius Scarlatinus Caſtri S. Petri Archipresbyter, cum ibi Medicinam facerem, crevit inter publicas iſtius Vrbis acclamationes, cum te vel excelſo Antianorum Magiſtratu, vel Plebis Tribunatu, aut inſignibus alijs Patriæ muneribus fungentem: ſive publica belli ſpecimina edentem (quibus Sebaſtianum Gandulphum Equitem, præſtantiſſimumque præteriti ſeculi Poetam referens, omnium in te oculos, ac plauſus convertis, & vel Principes Panegyriſtas es aſſecutus) ab omnibus ſemper encomijs cumulatum abire animadverterem. Tunc autem ſummam devotionis attigit, cum improviſis humanitatis nexibus me tibi in æternum devinxiſti: quando ſcilicet ab Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo Alphonſo Gonzagà II. Novellariæ, & Bagnoli Comite, Sacriq; Imperij Principe de meis conditionibus requiſitus, ea de me ſcribere voluiſti, quæ potiſsimà fuerunt in cauſà vt à tanto Literatorum Patrono in ſuum, ſuiq; Dominij Medicum inſperatò accirer. Quod a me tanti factum eſt, vt illicò rebus meis apud Bononienſes tuos ſatis florentibus nuncium remiſerim, meque Principis famà pluſquam ſtipendio allectum, vel per iniquiſ-

ſimam tempeſtatem huc contulerim. Verum enim verò quæ tuas concernunt laudes de te, nō ad te ſcribenda, ſicuti quæ de te notavit Pompejus Dulphus in Genealogià Bentivolorum. Quapropter in tuæ ſalutis vota calamum ſiſto. Novellariæ XI. Kal. Martias M.DC.LXXIV.

V. C.

Digitized by Google

V.C.D. OCTAVII SCARLATINI
BONON.
Caſtri S. Petri Archipresbyteri
AD D. LAVRENTIVM LEGATVM
Medicum, atque Philoſophum Cremonen.
Gręcę Literaturæ Bonon. Profeſſorem,
IOANNIS GANDVLPHI Bonon.
qui ante ſeculum floruit,
Poemata editurum.

DIGRESSIONES:

Omnivagà Cæi à Sorore
Plausùs vbique reſonante,
Tuarum, doctiſſime mi LEGATE, Virtutum
ducor in Ædem.
Vbi omnia tuis picta Monumentis
Oculos in ſe convertunt, & Animos.
Hic enim mirus vbicunque videris,
Aut negotioſas Æſculapij vices gerês, lãguentiũ corpora
Mortis planè labe inquinata, ad vegetioris ætatis
felicitatem, & conſiſtentiam ducas:
Vel in otio operoſus exantlatos in Caſtris Palladis
Concivium labores in HERCVLIS LYCEO
Herculeæ Patriæ non tàm Filius, quàm Pater,
Suadæ ſtylo deſignes:
Sive COSPIANO in MVSEO Exotica quæque
tanquam familiaria proponas:
Aut Poëtarum, Poetriarumq; ſigna perquirens,
& lucubrationes recolens,
ATHENÆA illis, MVSEAQ;
Thaumaturgæ Citharæ tuę concentu, Latinus Amphion

con-

conſtruas:
Et Thebanos modos triplici ſermone reddens,
trilinguem te Pindarum exhibeas:
Nec non Græcæ Flores Eloquentiæ in Felſineæ Palladis
Hortis conſerens,
Atticas delicias huc transferas:
Eq; ſecretioris Eruditionis eruas Penu
Quæ ſtupenda calles,
Maturioriq; aperis viſenda intuitu,
Sive in ALDROVANDÆIS ARBORETIS
Mutatas, Par Ovidio, Formas concinnas,
Aut, alter Alciatus, Emblemata incidas.
Quapropter
Doctioribus hujus ævi in amicitiam receptus,
Interque Florentinos *Apatiſtas*, *Anxios* Eugubinos,
Deſioſos, & *Vnanimes* Bononienſes,
ac meos *Immaturos* Academicos
adſcitus,
non tàm numerum, quàm gloriam eorum
auxiſti.
Sed ſi tot Præconia pangere vellem, quot hic
Meritorum tuorum viſuntur Icones,
Quotve Calami Penn cillo depictas Imagines,
Vel aſſiduitatis ſcalpro cælatas
depromis
Hæreret Animus, hebeſceret Ingenium.
Deficeret dies.
Satis itaq; mihi ſit, ſi non omnia, nonnulla ſaltem
indicaſſe,
Et cum illo interim effari:
Majores Majora canant.
Vnũ nihilominus ex tot tui POETARVM ATHENÆI
Hoſpitibus non præterierim, mihi Concivem,
IOANNEM GANDVLPHVM,
Quem in tuum excipiens Bibliographium,

Le-

Letho eripis,
Et redivivum ad nos reducens,
GANDVLPHIS Gentilem, Patriæ Filium,
Et Orbi Literato Dynaſtam reddis.
Hujus dum atramenti tui opobalſamo vulnera ſanas,
Aſclepij in Hippolytum miracula renovas.
Dumq; amœnorum ejus Poematum ſcenam pandis,
Inter tot Lauros duraturas tibi conſeris Palmas;
in Heroum laudibus ab ipſo exaratis
Immortalitatis Purpuram offendis:
Ex Elegijs elogio dignum te probas.
Sic efferris ad Gloriam,
Dum effers ad Vitam
Poeta Poetam,
Ex cujus operibus (vt ex autographo quod mihi
humaniſſimè communicaſti,
animaduertere fuit) tamquam ex Muſarum Patrimonio
recens effluit Hippocrene,
Alitem quidem quadrupedem autorem habens,
Sed qui ſemper Florentem Roſis.
Et Auro redimitam vehit Auroram:
Cujus aſpergine tacti non admittunt occaſum,
Ambroſia nempe lympha,
cum quà nec Hymetti Favi
dignè conferantur.
Si cum GANDVLPHO canis,
vel GANDVLPHIOS allicis CANES;
qui reconditis ſtudiorum tuorum è Silvis,
quaſi vmbrifero Muſarum Nemore
Plauſus fugientem excitant, & coram te ſiſtunt Prædam;
CANES, non in Erebi, ſed Honoris Palatio
ducentes excubias,
dum GANDVLPHIAS Ædes
Tot Heroum decoras meritis, quot Gentilium
frequentatas greſſibus

Val.

Digitized by Google

Vniverſus admiratur Orbis:
Hic ille IOANNES GANDVLPHVS
Qui Atavorum dignus Pronepos,
Pronepotum digniſſimus Atavus,
Majorū auxit Nobilitatē, & Poſterorū inſignivit Nomen;
Dum Camauros, Faſces, Purpuras, Trabeas,
Chlamydes, Togaſque
Muſarum ſuarum invexit Sympoſio,
vt ejus ſcripta teſtantur.
IOANNES, inquam, GANDVLPHVS,
Qui a Vate Maximo, Chriſti Præcurſore
Gratioſum Nomen, & Omen deducens.
Redemptorē nedū natū, ſed & morte obitâ triumphantē
Enuntiat.
Ni potius ab Apoſtolo denominatum, edoctumq; indicet
Sacri ejus Carminis ſublimitas,
tanquam ex Aquilâ divinæ Sapientiæ dilectâ dilecto,
Pennam decerpſerit,
quâ deſcribentem *in Principio Verbum* ſecutus
præcipua ipſius Verbi feliciter expreſſit Myſteria.
O' Pennam igitur verè Aquilinam!
quæ vel in ſilvis circum Paſtorum præſepia vagaretur,
ſerpere non poterat,
Sed Paſtores ad Chriſti Præſepium ducens
ad Deum vſque ſaliebat:
Vel per Aulas Principum alta volaret,
Cęſaribus digna notans,
ex Cæſarum Aquilis avulſa credi poterat,
niſi quæ ſimul Pontifices celebrabat
cælo propiorem denotaret originem.
Quid hinc mirum ſi in Plectrum verſa
cæleſtes numeros referret?
GANDVLPHIAM nempe feriens Barbiton
Stellatæ Orpheos Lyrę fabuloſa verificabat prodigia,
dum ſaxea commovens pectora

in amoris cicutabat dulcedinem.
O' ergò potentia tanti Vatis Carmina!
quæ licet Magorum eludant commenta,
Portentoſa tamen apparent.
dum Temporis ſiſtunt Volatus, Mortis retundunt ictus,
Priorum revocant Famam,
Poſterorum firmant Magnitudinem,
muniunt Nobilitatem.
Tu propterea, mi LEGATE,
tàm glorioſa meritò edis Monumenta.
Quin & GANDVLPHI Gloriæ, quàm promoves,
particeps,
indiviſos in te, ac ipſum
cunctorum excitas Plauſus,
Et in ejus Carminibus Panegyrim tibi componis.
Quanquam aliena non egeas Gloriâ,
qui tuis ſcriptis ſatis clares.
Glorioſiſſima tuorum Atramenta laborum,
ex quorum pelago lucidiſſimi prodeunt Vniones.
Fortunatiſſimi Characteres,
qui Lucubrationum tuarum in agro conſerti,
Cadmæa veluti ſeges,
Fortiſſimam ſurgunt in Phalangem
Aureum Gloriæ vellus ſuo robore tibi acquirentem.
Firmiſſimus tibi Calamus, qui Dædali pennas æmulans,
Turbines findit, & ſecuras Famæ tuæ
per æthera dirigit alas.
Quæ Atramenta, qui Characteres, qui Calamus,
dum GANDVLPHO quoque militando
tantum Vatem ſuis reſtituunt,
Nobiliſſimam ipſius Poſteritatem tibi in æternum
addicunt,
meque mihi ſurreptum,
in tua *colligatum* ducunt obſequia.
Cujus ideò Virtutum Ara

has

has ex corde appoſui
DIGRESSIONES
Idib. Sept. M. DC. LXXIII.
O. S.
inter Errantes Academicos
Sitibundus;
interque Immaturos
Opportunus.

Digitized by Google

Per le Poeſie Latine del Sig. GIOVANNI GANDOLFI

Date alla luce dall' Eccellentiſs. Sig. Dottor

LORENZO LEGATI

Applauſo a gl'Illuſtriſsimi Sig. Domenico Maria, e Fratelli Gandolfi.

V' Inchino, ò Glorie, onde d' eterni Allori
Fregiate il crine à' Succeſſori voſtri:
V' inchino, ò Glorie, onde l' Oblìo frà Moſtri
Cade ſepolto in tenebroſi orrori.
Or che fecondi di Pimplei chiarori
Torna GIOVANNI a ravvivar gl' Inchioſtri,
E fiammeggiando entro le Gemme, e gli Oſtri
A la Poſtera Età porge ſplendori.
Quante note coſparſe ammiro io qvivi,
Tanti de' voſtri honor condegni faſti,
O GANDOLFI, contempla, e pregi vivi.
Godete pur, poiche i ſublimi, e caſti
Fogli del gran GIOVANNI, or rediviui,
Non val Penna lodar tanto che baſti.

Ottavio Scarlatini il Preparato
Accad. Intrepido.

Ex Athenæo Poetarum
LAVRENTII LEGATI
Notæ Hiſtoricæ, atque Criticæ de IOANNE GANDVLPHO.

GRATIA ſi fuit Iſacidum ſermone IOANNES,
Quàm bene GANDVLPHI Nomen Oloris erat!
Hic etenim cecinisse Sacra, *aut* Moralia *natus*,
Quæ, niſi quæ fudit GRATIA, metra dedit?

NOn diſſona ſuo Nomini panxit Ioannes Gandulphus Bononienſis ſub Clemente VII. & Paulo III. clarus, qui *gratioſa* cecinit, & ſi nihil ad *Charitas*, profanæ Veneris comites, ſpectans ediderit, Poeticen quippe, quæ, ante ipſum, Lupanar olebat, ita coluit, vt omni deterſa obſcœnitate ad matronalem gratiam revocaſſe, & inter virgineos, caſtoſque cœtus verſari dignam reddidiſſe videatur. Quæ ſiquidem ſcripſit, cum vel Sacra ſint, vel Moralia, vel Encomiaſtica, aut ad pietatem excitandam argumenti ſanctitate faciunt; aut ad mores componendos ſententiarũ gravitate conducunt; aut ad Virtutem propagandam exemplorum, rationumque pondere pertinent. Stylus pro ſubjecti varietate diverſus, at ſemper elegans. Variorum ipſius Carminum tabulæ ad me pervenerunt, quarto loco inſertæ cuidam Miſcellaneorum Manuſcriptorum Codici, in quo præmittuntur.

1. *Enchiridion Xyſti Philoſophi Pythagorici, diſtinctum ad ordinem literarum.*

2. *Brevis Methodus Erotematica ad Virtutes, Andreæ Baſij Ferrarienſis.*

3. *Interrogationes fiendæ in Viſitationibus Monaſteriorum, quæ Auguſtino Zanetto Epiſcopo Sebaſtenſi viſæ*

fuere

fuerunt opportunæ. Item ejuſdem *de Virtutibus Moralibus nonnulla.*

Cum autem ea Gandulphi Carmina luce digna cenſerentur, nec certum haberent ordinem, ſed confuſiſſima, prout ipſa caſu ſcripſerat Author, inter Elegos admitterent Eclogas, & alia diverſi generis Poematia, ea ſegregare, & ad certas claſses redigere libuit, vt, ſiquando in lucem proditent, ſuo quæque loco, quantum quidem fieri poſſet, diſpoſita viderentur. Ex ijs itaq; ſic diſtributis reſultarunt.

Heroicorum lib. I. in quo *Bucolica, & alia.*
Elegiarum libb. II.
Epigrammatum lib. I.
Lyricorum libellus.

Habebantur & in eodem volumine Leonina quædam Carmina Moralia ad Catonianorum imitationem, ſeu potius Paraphraſtica Heroicorum Catonis de Morali Philoſophià, graviſſimis interpolata ſententijs. Quæ cum humiliora præcedentibus, ſtyloque longè diverſa deprehenderem, dubitabam ne Gandulphi eſſent. Verum cum eàdem manu ſcripta cognoſceré, ac antecedentia, & ejuſmodi fruge, ac illorum pleraque, referta viderem, in eam veni ſententiam, vt Gandulphi eſſent, ſed ab ipſo in vltimo ſenio dictata, & ei proinde adſcribenda, vt factum eſt, ad Marcum Filium, de quo aliquid inferius, directa, motivo ex quarto verſu deſumpto.

Exaudi fili, mentiſque repone cubili.

Titulum ideò præfixi.

Joannis Gandulphi Bononienſis in Aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophià libb. IV Leonina Paraphraſis graviſſimis firmata ſententijs. Ad Marcum Filium.

Porrò ex omnibus mihi in primis probantur ejus Eclogæ, vt quæ cum optimorum Poetarum Bucolicis non ſine laude conferri poſſint. Maximè autem arrident ſacræ;

quas de Christi Nativitate, deque novæ Stellæ poſt ejus ortum Apparitione, & de ipſius Paſſione conſcripſit: cum ea Redemptionis noſtræ Myſteria ſic ob oculos ponant, ut præſentia videantur. Legi verò facilitate prorſus Ovidianà delectant. Suus ineſt & Epigrammatis lepos, quanquam non omnia Martialis ad incudem ſint fabrefacta. Suam præſeferunt & Lyrica venuſtatem, licet inter hæc ſacra quædam Iambica dimetra occurrant valde licentioſa. Quæ tamen non metricæ legis ignorantià, ſed datà operà ita ſcripſit, ut pueris, à quibus recitanda erant, ſe aptaret. Quamobrem & ſe excuſat dimetris datis ad Antonium Annulum, quæ quinto loco habentur. Paraphraſis in Catonem, ſententiarum potius, quàm ſtyli nobilitate pretioſa.

Cæterum, ſi hujus Poetæ monumenta perierant, ut facile erat, omnis ſimul ipſius memoria interciderat. Nullam enim ejus mentionem in aliorum ſcriptis, quæ quidem plurima vidi, offendere licuit. Quin & nihil ad ipſum faciens ex ejus Gentilibus expiſcari fuit, quanquam Bononiæ Patricia, & vel ante CCCC. annos illuſtris floreat Gaudulphorum familia, in plures hodie ramos diſpartita. Scilicet rei potius militaris, quàm literariæ ſtudium apud eos viguit. Unde liquet cuinam oblivionis periculo ſe exponant literati, qui, dum vivunt, publico aliquo documento nomen ſuum poſteritati non committunt. Quod enim ipſi negligunt, vix contingit ut alter curet. Immo & ipſum Poetæ nomen latuiſſet, cum Epigraphe careret ejus Carminum Codex, niſi inter hæc extitiſſet Elegia XIX. Libri II. quæ *Ioannem* nuncupatum indicavit, in ſcripta *In Morte Ioannis Gandulphi Nepotuli*, de quo Author

Parve Puer, cui Nomen Avi Natura referre
Annuerat, duplex ut mihi vita foret.

Quo in loco ne Maternus, ſed Paternus Pueri Avus, & ſic ex illuſtri Gandulphorum Gente Vates intelligatur, argu-

argumento ſunt hæc ex lib. II. Eleg. IV. ad Vyſſem Baſſianum.

Hæc tamen interea, quanvis in condita, quaſo,
Carmina Gandulphi ſint monumenta tui.

Item ex Elegià V. ejuſdem libri ad eundem Baſsianum.

Nuſquam Gandulphus te videt ille tuus.

Quòd porrò Bononienſis eſſet, luculentum ipſe de ſe teſtimonium perbibet lib. I. Eleg. XV. quæ *de Bononiæ laudibus* inſcribitur, dictatà in hortis magnificentiſsimi Cœnobij S. Michaelis in nemore, ſic exorſus.

Dulcis amor Patriæ vocat ad præconia Vatem,
Vrbis Felſineæ commoda, Muſa, refer:
Dum teſtudineo lentus ſpeculatur ab antro
Felicis Patriæ mœnia chara ſuæ.

Et in fine Poematis ejuſdem inquiens.

Me mea detineat preclara Bononia latum.
Non alibi malim vivere, nonve mori.
Hæc ego ſilvicola celſà Michaelis abade
Ludebam, Patriæ mœnia deſpiciens.

Profitebatur autem humaniores literas, vt idem innuit lib. I. Eleg. XIV. ad Antimachum, ajens.

Si mihi Cælicolæ faciles ad vota dediſſent
Quæ tua jocundo carmine Muſa refert:
Non ego tentarem docilem formare juventam,
Nec raucus longà garrulitate forem.

nec non lib. II. præcitatà Eleg. IV. ad Baſsianum.

—— —— doleo mea me quòd cura docendi.
Abſtraxit.

Vxorem habuit, Anaſtaſiam nomine (cujus cognomen expiſcari nuſquam potui) ornatiſsimis moribus fœminam, ex quà ſuſcepit Marcum ſuprà memoratum, item Petrum, & Antonium, & Michaelem, alioſq; filios, & filias: quarum vnius, fato functæ Anno ætatis X. Menſe X. præproperam ipſe mortem deflet lib II. Eleg. XXI. ad Marcum, Bononiæ ſtudijs operam navantem, ex Fanano ſcri-

ſcriptâ, vbi aliquandiu cum reliquâ familiâ Ioannes degit. Numeroſam hanc ſobolem indictam ipſe, non ſinit in eâdem Elegiâ, vbi Petrum in primis ſtudioſæ puerum indolis prædicat, ad Marcum modulatus.

Sollicitam ſolare Patris, piacura, ſenectam,
Totque tui fratres, qui mea damna levant.
Quæque refert Aviæ pradulcis filia nomen,
Et mihi quod conjux provida geſtat onus,
E quibus egregio præſignis nomine Petrus,
Cum peragat mitis vix tria luſtra puer:
Invigilat docto, patriâ recinente, Maroni,
Voce, nec in magno jam Cicerone ſedet.
Pone ſubit gratus teneris Antonius annis,
Dinumerans primas, me referente, notas.
Proximus infanti blanditur voce Michaël
Pertentans tremulis verbula blanda ſonis.
Altera ſuccreſcens è natis grata duabus
Sarcina, defunctæ nomina clara tenet.

Ex tot autem Ioannis liberis ad literariam aliquam famam perveniſſe conſtat vnum Marcum, qui ad Sacerdotij dignitatem promotus, in aulâ Herculis Gonzagæ Cardinalis, & Mantuæ Præſulis, in pretio baberi meruit. Quod & indicat Poeta lib.II. Eleg.XX. de vtroq; canens.

Teque ſimul, cui poſſe datum placare Tonantem,
Qui celebras ſanctâ Relligione Deum.
Qui colis illuſtrem Mantoi Principis Aulam,
(Quæ tua, quæque mea eſt gloria, ſi qua mea eſt)
Cui genus, & mores rutilo fulgere galero
Sydeream frontem promeruere Viro.
Digna ſed eſt facies, triplici cui Mitra coronâ
Surgat, & hoc olim proſpera fata dabunt.

Quo Principe, anno M. D. LXIV. inter vivos deſiderato, in Patriam redijt, vbi Genitoris exemplum ſecutus teneriorem juventam aliquandiu bonis artibus imbuit; ad cujus etiam vtilitatem nonnulla commentus eſt in Noniû

Do-

Donatum, qui ſubinde prodijt, inſcriptus *Nonius Donatus Marci Gandulphi Presbyteri Bononienſis* Bononiæ apud Alexandrum Benacium M D. LXXI in 8.

Ex reliquis verò Ioannis filijs liquet vnum vxore ductâ genus propagaſſe, natoſque ipſi liberos, Ioannem ſupra memoratum, & Camillam (quos immaturo fato ſublatos ſingulis Avus in ſecundo libro deplorat Elegijs, XIX. ſcilicet, & XX. nuper citatis) Iuliumque præcedentibus ſuperſtitem, de quo Poeta in eâdem Eleg. XX. quæ titulum præfert. *Ad Marcum Filium Epiſtola lamentatoria in morte Camillæ infantulæ*, hæc habet

Vtque feram patiens duri diſpendia caſus
Efficit, ò ſervent quem mihi fata, Nepos:
Iulius, egregium nomen, felicibus annis
Augebit fauſtà qui mihi prole genus.

Alios itē innuit ibidē nepotes, de Iulij parentibus ſubdens.

—— quod vterque parens floret, fratreſque sereni,
Quos precor vt ſuperi mi ſupereſse velint.

Interea Ioannes vxorem extulit, cujus manibus parentavit duabus primis ſecundi libri Elegijs. Nimirum in adverſis nullum ſeceſſu ad Muſas præſentius experiebatur levamen. Quod & ipſe profitetur lib. II. Eleg. XIV. ad Antonium Annulum, canens.

Rebus in anguſtis quid enim præſentius ipſo
Muſarum portu vatibus eſſe poteſt?
Huc me tempeſtas quoties deprendit in alto,
Vt poſſum, celeri remige verto ratem.
Hic mihi certa ſalus, aut ſpes non vana ſalutis,
Dum maris vndiſoni turbida ſævit hyems.

Inter amicos præcipuè coluit prædictum Annulum, & Baſſianum: præter hos, Cornelium Muſſum, celeberrimum divini verbi Præconem, Achillem Bocchium concivem, nobilem Emblematum ſcriptorem, Iulium Scarlatinum Regienſem I. C. Ferrarienſi, & inſignibus alijs Præturis functum; & inter Rotæ Bononienſis Auditores

abinde cooptatam: nec non Antimachum Poetam Cæſareum. Cui tamen amicorum poſtremo Gandulphum aliquando ſubiraſci contigit, amarulentis ab eo, quem pridem laudibus cumularat, carminibus quondam petitum, quòd de Franciſci I. Gallorum Regis Victoriâ de Caroli V. copijs ad Rhodanum relatâ, nonnulla modulatus, Gallis favere viſus eſſet. Sed Antimacho par pari reddere novit Gandulphus: qui & culpam (ſi culpa fuit de Victoriâ illâ hiſtoricum agere) quæ ipſum pene in Cæſaris iram præcipitarat, vt ex lib. I. Eleg. XIII. liquet, non vno in loco diluit, & præſertim in præcitata Eleg. XIII. lib. I. & in ſubſequenti ad Antimachum; immò, & in præcedenti, in quâ ſic ad ipſum.

Non ego pollicitis, nec ſpe pellectus inani
Carmina de magno Cæſare pauca dedi.
Geſta nec indomiti carpſi, celebreſque triumphos,
Quod falsò de me queſta Thalia tua eſt.
Nec me muneribus totus corruperit orbis,
Detrahat vt tanto noſtra Camœna Duci:
Et me quod furijs jactas agitarier, hic te
Mendaci decuit purius ore loqui.
Cæſaris invicti ſortem ſum queſtus iniquam,
Quòdque minus voti is illa ſecunda foret, &c.

Ex quibus, & quanti fieret Gandulphus deduci poteſt, cujus Muſam in ſui favorem muneribus allicere crederentur Magnates. Quod ſi negat in hoc caſu effectum Author, non diſſimulat aliàs eveniſſe, vt in Eclogâ IV. in quâ ſub Philarchi nomine quendam Principem, vt ſuſpicor, Eccleſiaſticum laudat, à quo torque donatus fuerat, vt hi docent verſus, ejus gratitudinis teſtes.

Illa tamen quoties noſtro pendentia collo
Munera conſpicio magni monumenta Philarchi,
Admoneor, cupioque viri præconia tanti
Dicere: ne meriti videar nimis immemor eſſe.
Turpius ingrato nihil eſt quod dicere poſſis.

Inter

Inter ejuſmodi ſtudia placidè conſenuiſſe Poetam ex eo conſtat, quod natos natorum complures vidit. Quando autem, & vbi è vivis migrarit, mihi non eſt in comperto. Defuncto Epitaphium in hæc ſcripſit Bartholomæus Prignanus.

Tam bene qui prima faſtus mollire juventa
Noverat: atque animos nobilitare rudes.
Tam bene Gorgoneâ fuerat qui lotus in vndâ,
Hic pia Gandulphi contegit oſſa lapis.

CANDIDO LECTORI

Octavius Scarlatinus S. D.

CVm hinc Novellariam ad Medica Excellentiſſimi Toparchę D. Alphonſi Gonzagæ ſtipendia profecturus D. Legatus, extremam editionis hujus libelli, qui adhuc ſub prælo erat, curam mihi demandaſſet: ſuumq; de nonnullis alijs jamdiu mortuorum Authorum monumentis apud ſe MSS. edendis conſilium aperuiſſet; non abs re facturum me cenſui, ſi ea tibi, candide Lector, hic indicarem. Nimirum, & mortua nomina ita citius in lucem revocare videbar, & non meis modo, verum & omnium plauſibus dignum indigitabam ſingularem amicum, Medicumq; meum Legatum, qui nedum vivorum, ſed & defunctorum curam tam ſedulam habet. Præterquamquod nec ingrata tibi futura interim erat illorum notitia. Sunt autem, vt obſervare fuit.

1. *Joannis Marij Philelphi, Franciſci F. Art. & V. I.D. Eq. Aur. & Poetę Laureati Felſineidos libb. IV.*

2. *Thomæ Senecæ, Bononiados libb. IV.*
Ejuſdem, *Grateidos libb. II.* omnia cum argumentis, & Notis ipſius Legati.

3. *Galeatij Mareſcotti, Eq. & Sen. Bonon. rerum Bononenſium ipſo cooperante geſtarum Commentarius à Lau-*

gentio Legato latinitate donatus, & Notus illuſtratus; quem jandiu prælo Manoleſſiorum ſuppoſitum audio.

4. *Gaſparis Tribrachi Mutinenſis ad Galeatium Mareſcottum Carmina.*

5. *Io. Michaelis Nagonĩ Antoniani, publico decreto Civis Romani, & Poetæ Laureati, de Geſtis Ioannis II. Bentivoli, Bononienſium Principis Carminum libb. IV.*

6. *L. Griffi in Conflictum Braccianí, Carmen ad Illuſtriſſimum Principem Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanſium.*

7. 8. *Angeli Michaelis Salimbenij, & Sebaſtiani Aldrovandi Bononienſium Philomathia.*

9. *Rime di Filenio Gallo da Monteſano*, Poeta *Antico*.

10. *Michaelis Guvij Mirandulani, Canonici Regularis S. Salvatoris, adverſus Martinum Lutherum, libb. IV. heroicè conſcripti.*

11. *Pij Preſentini Mirandulani Canonici Regularis S. Salvatoris, Myſteria Redemptionis Humanæ ex diverſorum Poetarum, ſed potiſſimum ex Virgilij Carminibus contexta.*

12. *Io. Iacobi Roſcij*, ſive *Rubei Bonon. C. R. S. Saluat. Carminum diverſi generis liber.*

13. *Ambroſij Albini Bonon.* Can. *Reg. S. Salv. de Io. Iacobo Rubeo Epigrammaton liber.*

14. *Pauli Acerbi Mantuani*
15. *Petri à Portà Placentini*
16. *Hieronymi de Valleſiccà*
17. *Flaminij Raij Pratenſis*
} *Carmina Miſcellanea.*

18. *Bernardini Trinagij Vicentini Variorum Carminum liber.*

19. *Philippi Gerij Piſtorienſis, Epiſcopi Iſclanenſis, mox Aſſiſienſis, Poematum Latinorum, Etruſcorumque Fragmenta.*

20. *Iulij Cuppellini Bononienſis, Gregorij XIII nec non & Franciſci Vrbini Ducis à ſecretis, Quadripartitum*

Muſis

Muſis Tributum, nempe *de Prudentia, de Fide, Iuſtitia, & Liberalitate Poemata*.

21. *La Converſione di S. Maria Maddalena*, *Poema dell' Illuſtriſſima Signora Conteſſa Maddalena Salarcij Arioſti, diviſo in Canti quattro, all' Illuſtriſſima Signora Laura Poeti*.

His autem operibus ex ordine Hiſtoriæ præmittendos aſſerebat.

22. *Ioannis Garzonij Phil. & Medic. Bonon. de Vita Ioannis I. Bentivoli Comentarium*. *Ejuſdem de Hiſtoriâ Bonon. libb. III.* ſi tamen poſtremi hujus ſcriptoris Codicem, jandiu communicatum D. Marchioni Hippolyto Bentivolo, qui editionis impenſas ſe facturum vel anno 1670. promiſerat, vt ex ejus litteris ad D. Legatum percepi, recuperari contigerit.

Ne verò D. Legatum hæc ideò curare arbitreris, vt ex alieno ſplendore lucem aliquam ſuo nomini mutuetur quod propriâ ſatis claret, opportunum duxi catalogum ipſius Operum editorum, ineditorumque hìc quoque tibi ſubijcere.

Edita ſunt. *Iuvenilium Studiorum Laurentij Legati ſpecimina.* Bononiæ typis Hæredis Victoris Benatij 1667. 4. in quibus habentur.

1. *Agriomeleis*, aut *in Silveſtre Pomorum genus Metamorphoſes* ad Petrum Franciſcum Minotium.

2. *Chryſomeleis, ſive Aureorum Malorum Hiſtoria mythicè deſcripta*, ad Ioſephum Criſpum.

3. *Nea Caſta*, ſive *Mythicus de Caſtaneis Excurſus*, ad Angelicum Aproſium. Quæ omnia pariter inſerta ſunt Tom. 1. Dendrologiæ Aldrovandicæ, lib. 1. cap. 6. & lib. II. cap. 5. & 7

4. *In Vlyſſem Aldrovandum, ac ejus de Arboribus Hiſtoriam ab Ovidio Montalbano congeſtam*. Ode Metro pindarica Græcolatina: edita quoque ex Typographiâ Ferroniana 1668. 4.

5. *Mu-*

5. *Muſei Poetriarum Primitiæ ad Ovidium Montalbanum*.

6. *Thomas Caſtellanus Poeta Bononienſis ex Athenæo L. Legati productus à Petro Caſtellano Pronepote*,

7. *Breve deſcrizzione del Muſeo Coſpiano*. Bonon. ap. Io. Bapt Ferron. 1667. 12.

8. *Diſticha in Iconas inſertas Curis Analyticis Ovidij Montalbani*, edit. Bonon. typis Io. Bapt. Ferronij 1671. in f.

Edenda vero ſunt.

1. *Il Muſeo Coſpiano, anneſſo al famoſo Studio d'Vliſſe Aldrovandi, e donato alla ſua Patria dall' Illuſtriſſimo Sig. Ferdinando Coſpi*, Patrizio *di Bologna, e Senatore, Cav. Commend. di S. Stefano, Bali d' Arezzo, e Marcheſe di* Petriolo, *Deſcrizzione di L. Legati*. Opus ingens, cum iconibus, quod ſub ſacrà Cenſura nunc eſt.

2. *Iſtoria Genealogica delle Famiglie Boſſi, Boſelli, e Cavalcabuoi*.

3. *Lycèum Herculis*, ſive *Scriptores Cremonenſes, à Laurentio Legato Concive collecti, & recenſiti, cum digreſſionibus ad Familiares* Vol. 1.

4. *De Pictoribus, Sculptoribus, & Cælatoribus Cremonenſibus liber*.

5. *Athenæum* Poetarum,*Tomis IV. cum iconibus*, quod frequenter citatur in Bibliothecà Aproſianà, & non nunquam in ſcriptoribus Liguriæ D. Raphaelis Soprani; Innuitur, & in Epiſtola Dedicatorià XII. Heroicorum D. Ioſephi Baptiſtæ Epicediorum D. Legato ab Authore humaniſſimo nuncupati.

6. *Museum* Poetriarum, *cum iconibus*.

7. *Metamorphoſeon Tom.* 1.

8. *Emblematum lib. II.* quorum aliqua citantur à Montalbano in Dendrologià.

9. *Græcolatinorum* Poematum *lib. I.* in quo Odæ Pindaricæ, Sapphicæ, Alcaicæ, & Epigrammata.

10. Pet.

Digitized by Google

10. *Poeticorum Metaphyteumatum libb. IV.* in quibus multa è Græco in Latinum converſa.

11. *Obſervationum Medicarum Vol. 1.*

12. *Corrupti, & ſecti Inteſtini Recti in Viro Nobili Hiſtoria, & Curatio.*

13. *Orationum Vol. 2.*

14. *Rime diuerſe Vol. 1.*

Audio & ex quo Novellariæ degit præ manibus habere.

15. *L' Iſtoria Genealogica della Famiglia Griſanti*; librum nuncupandum Illuſtriſſimo D. Equiti Bartholomæo Chryſantho, Sacri Romani Imperij Baroni. Quin & alios ejus Ingenij fructus ſperandos autumo, ſi vita illi ſuperſit. Vale, & Legatum ama; quem à me diſcedentem non potui non hoc Propemptico ſequi.

Parti, ò LORENZO, & ecco parte ancora
Di tua eccelſa Virtude il più bel lume:
Che per tutto, oue vai, porti vn' Idume,
Che di Palme, e d' Allori il ſuolo onora.
Come di lido in lido avvien talora
Che in onde d' oro gorgogliando il Fiume,
Quanto più ſi dilunga, hà più in coſtume
Stender de' pregi ſuoi Fama ſonora.
Così, LORENZO mio, doue tu vada,
Onde più 'l Nome tuo ſia celebrato,
Il tuo merto, il valore apron la Strada:
Tue Glorie adduca il Corridore alato
Sotto ogni Ciel. Sarò, dovunque accada,
In eterna vnion teco LEGATO.

IN-

INDEX

Eorum, ad quos, vel de quibus hìc extant Carmina, aut mentio tantum habetur.

Achilles Bocchius pag. xxi. 89.
Aeneas Blanchinus 85.
Alphonſus Gonzaga II. Novellaria Co. vi. xxiij.
Academiæ Aſſumicatorum 12.
Anxiorum Eugubij x.
Apatiſtarum Florentiæ ibid.
Deſioſorum Bononiæ, ibid.
Errantium Brixiæ xiv.
Immaturorum Bonon. x. xiv.
Intrepidorum Ferrariæ xv.
Soporatorum 157.
Vnanimorum Bonon. x.
Ambroſius Albinus xxiv.
Anaſtaſia Io. Gandulphi Poetæ Vxor xix. 43. 44.
Andreas Alciatus 68. 84.
Andreas Baſius Ferrarienſis xvi.
Andreas Imperialis 151.
Anfranus Matthias Franſonus 138.
Angelicus Aproſius Iunior xxvi. 135. 137.
Angelus Gryllus 144. 167.
Angelus Michael Salimbenius xxiv.
Annibal Aldrovandus 101.
Antimachus xix. xxij. 33. *& ſeqq.* 78. 80. 81.
Antonius Annulus xviij. xxi. 18. 56. *& ſeqq.* 79. 80. 87. 89. 101.

An-

Antonius Gandulphus xix. xx.
Antonius Ruina 84.
Aproſiana Bibliotheca xxvi.
Auguſtinus Zanettus Bonon. xvi.
Aurelius Brixienſis 135. 137.
Bartholomaus Chryſanthus xxvij.
Bartholomaus Prignanus xxij.
Bernardinus Trinagius xxiv.
Bernardus Ferrarius 170.
Bononia Laudata 38.
Boſelli xxvij.
Boſſij ibid.
Camilla Io. Gandulphi Nept. xxi. 62. 63.
Camillus Martinengus 172.
Carolus V. Imp. xxij. 17. 29. & *ſeqq.* 77. 78.
Cavalcaboves xxvi.
Chriſtophorus Columbus 151.
Chriſtophorus Placentinus 40.
Clemens VII. Pont. Max. xvi. 39.
Cornelius Marſilius 85.
Cornelius Mußus xxi. 52. 53. 54.
Coſpianum Musèum ix. xxvi. 137.
Dionyſius Lanfrancus 168. 169.
Dominicus Legatus 44. 58.
Dominicus Maria Gandulphus iij. xv.
Durantes Brixienſis Epiſcopus 86.
Fabius Iordanius 160. & *ſeqq.*
Fabricius Iuſtinianus 145.
Ferdinandus Coſpius Marchio xxvi.
Flaminius Rajus xxiv.

Fran-

Franciſcus Bovius 171.
Franciſcus I. Gallorum Rex xxij. 17. 31.
Franciſcus Feltrius Vrbini Dux xxiv.
Franciſcus Sfortia I. Dux Mediolani xxiv.
Gabriel Leterius 149.
Gabriel Iordanius 160.
Galeatius Mareſcottus xxiij, xxiv.
Gandulphia Gentis antiquitas xviij.
Gaſpar Contarenus Card. 48.
Gaſpar Tribrachus xxiv.
Gregorius XIII. P. M. xxiv.
Gualengus Ghislerius 60.
Guido Aſcanius Sfortia Card. Bon. Leg. 50. 51. 82. 83.
Hercules Cimilotus 138. 139.
Hercules Gonzaga Card. xx.
Hieronymus de Valleſiced xxiv.
Hippolytus Bentivolus Marchio xxv.
Iacobus Bonfadius 165.
Ioannes I. Bentivolus xxv. Io. II. Bent. xxiv.
Io. Baptiſta Iuſtinianus 145. 156.
Io. Carolus Imperialis 151.
Io. Caſarius 172.
Ioannes Io. Gandulphi Poeta N. xviij. xxi. 61.
Io. Franciſcus Roboreus iij.
Ioannes Garzonus xxv.
Io. Iacobus Roſcius xxiv.
Io. Marius Philelphus xxiij.
Io. Matthaeus Toſcanus 165.
Io. Michael Nagonius Antonianus xxiv.
Io. Nicolaus Cavana 138.

Ioſe-

Ioſephus Baptiſta xxvi.
Ioſephus Criſpus xxv.
Iulius Cuppellinus xxiv.
Iulius Scarlatinus I. C. xxi. 71.
L. Griffus xxiv.
Lambertinus 90.
Laura de Poetis xxv.
Laurentius Craſſus Neapol. 137.
Laurentius Legatus Senior 137. 147. *Iunior* iij. ix. xv. xvi. xxiij. xxv. xxvi. xxvij. 135. 137.
Ludovicus Gandulphus 40. 41.
Ludovicus Gozadinus 89.
Ludovicus XIV. Rex. Gall. v. vi.
Magdalena Salarola Areoſta Poetria xxv.
Marcellinus Genuenſis 135. 137. 138.
Marcellus Majoranius Acerra Epiſc. 137. 159.
Marcus Gandulphus Io. Poeta F. xvij. xix. xx. xxi. 62. 63. 66.
Michael Gandulphus xix. xx.
Michael Guvius xxiv.
Octavius Scarlatinus vij. ix. xxiij.
Opicius Spinola 140.
Ovidius Montalbanus xxv. xxvj.
Paulus Acerbus xxiv.
Paulus III. Pont. Max. xvj. 49. 76.
Paulus Toloſa 166.
Petrus Caſtellanus xxvj.
Petrus Franciſcus Minotius xxv.
Petrus Gandulphus Io. N. xix. xx.
Petrus à Porta xxiv.
Philenius Gallus xxiv.

Phi-

DE NATIVITATE CHRISTI.

INTERLOCVTORES

Fuſcus, Ornithus, & Leucus.

ECLOGA I.

FAllimur? an veras audimus ab æthere voces,
Ornithe? rumpe ſonum, atque arrectis auribus aſta.
Or. Fuſce, quis eſſe neget divûm prænuntia verba?
Illa nihil mortale ſonant: ò qualia noſtrum,
(Vera quidem fateor) pertentant gaudia pectus!
Fuſ. Me quoque neſcio quæ totis infuſa medullis
Lætitia emollit: videas vt blandius æquo
Stet pecus, & miti teſtetur gaudia fronte.
Or. Sed quid & huc celeri properat per gramina paſſu
Leucus anhelanti, dominum comitante Lyciſcâ?
Expectemus, habet referat quæ maxima nobis.
Leu. Vidimus, ò pueri, quæ non mortalia poſſunt
Ora loqui, non lingua poteſt humana referre;
Illa tamen quocunque modo (nec falſa putetis)
Carmine non longo referam miracula vobis.
Or. An quicquam tali ſit munere majus vtrique?
Incipe, jam patulis nos auribus iſta bibemus.
Leu. Cum modo corrnigeras luſtro de more parentes,
Inſidiaſque Lupi metuens, Vrſique ferocis,
Totum fulgidulis viſum eſt ardere ſub aſtris
Cœlum per tenebras: tantus decurrit ab ortu
Fulgor ad occaſum, tonitruque ſub aere ſereno
Ter, quater intremuit (dictu mirabile) tellus,
Nec ſoli patuere mihi cœleſtia viſa;
Viderunt alij; vidit Melibœus, Alexis,

 Et

Et Corydon, Thyrſisque puer, ſeniorque Palæmon,
Mopſus, & hybernâ depaſtus glande Menalcas.
Parva loquor, majora paro, majora ſuperſunt.
Aliger his noſtras permulſit nuncius aures
Vocibus, aerias viſus volitare per oras.

Fuſ. Ornithe, cur eadem quoque nos non vidimus ipſi?

Or. Cum fierent, magno perfuſos membra ſopore
Dulcis, & alta quies, mortique ſimillima preſſit,
Hinc fragor, & fremitu tellus conterrita ſomnum
Depulit ex oculis; cum vox audita per auras.
Sed vicine, precor, ne deſine cætera, Leuce.

Leu. Cultores nemorum, pecoris gaudete magiſtri,
Gaudia magna fero, nulli percepta priorum,
Nuntius æthereâ vobis demiſſus ab arce.
Natus in orbe Puer purâ de Virgine vobis,
Humani generiſque ſator, ſervator, & author,
Æqualiſque patri, genuit quem trina poteſtas.
Hinc gaudet gens illa patrum, ſanctiſſima proles,
Præſcia venturi, cæcis incluſa tenebris,
Totaque ſyderei lætatur regia cœli.
Hinc ſtygius gemit ille Charon, gemit illa profundi
Carceris atra manus, cæco demerſa barathro.
Triſtia ſydereum metuunt iam Tartara Regem;
Iam dabit hic toto pacem mortalibus orbe.
Aurea iam puero naſcente renaſcitur ætas.
Molliet hic hominum ſacris præcordia verbis
Ferrea, mortalique Deum velabit amictu,
Iuſtitiæque dabit ſanctiſſima ſemina, ſacras
Sanciet in terris æterno fœdere leges,
Languida ſanabit nullo medicamine membra,
Inceſſumque dabit claudis, & lumine capta
Sæpius optatâ donabit corpora luce,
A Styge defunctos vitâ revocabit inerti.
Hinc & ab extremo magni pia munera reges
Orbe ferunt, puerumque ſuo dignantur honore.

Hæc

Hæc ait, & ſubito tenues dilapſus in auras.
Fuſ. O te felicem verè, nimiumque beatum,
Cœlicolas cui noſſe datum, pia munera, cuique
Cernere virginei licuit præſagia partus.
Hic erat ille ſonus noſtras demiſſus in aures,
Hæc erat illa animis totos infuſa per artus
Lætitia, hæc læti pecoris clara, Ornithe, ſigna.
Or. Vera refers, teque id memini dixiſſe ſodali.
Leu. Ergo eadem nuper vos hæc audiſtis, amici?
Fuſ. Nimirum, ſed verba ſopor vicinus vtrumque,
Et ſtupor arcano mentis vetuere receſſu
Condere: mellifluos licuit perdiſcere cantus.
Sed quibus in terris puer hic de Virgine natus?
Quandoquidem tibi cuncta datur cognoſcere, Leuce,
Dic, age, ſic numeroſa tuis fœtura capellis
Creſcat, & innumeri ludant in ovilibus agni.
Divinam ſobolem ſacro dignemur honore.
Leu. Vidiſtis ſi forte caſam, quam pinus obumbrat
Denſa comâ, fons eſt vitreis pellucidus vndis
Non procul; ille ſitim toties ſedavit in æſtu,
Fuſce, tuam, nulli non eſt liquor, Ornithe, notus,
Qui paſcit ſeu valle boves, ſeu rupe capellas.
Hic puerum mater partu eſt enixa recenti,
Aſtræo monſtrata mihi nunc nuper ab ipſo,
Felici vicina caſæ, qui bucera ſeruat
Armenta; ò felix, nimium mihi nempe videbar,
Tanta quidem totâ concepi gaudia mente.
O qualis facies! ò qualia lumina! qualis
Aſpectus! qualiſve decor? quàm rara venuſtas!
Plura quid evolvam? nihil eſt in Virgine, crede,
Quod mortale putes: quod non venereris, adores.
Quàm ſimilis matri ſoboles? quàm digna parente
Progenies! certè nihil eſt, quod cernere malis.
Ludit, & arridet matri nunc editus infans.
Quid moror? huc veni, quò me ſequereris, amice

Ornithe, quique mihi teneris dilectus ab annis,
Fuſce puer, parili mecum quò veſtra fruantur
Lumina lætitiâ, nil non commune putavi
Iam pridem mihi vobiſcum. Quid plura? venite
Viſamus puerum pariter, pariterque colamus.

DE NOVÆ STELLÆ POST CHRISTI ORTVM APPARITIONE.

INTERLOCVTORES

Fauſtus Filius, & Sylvanus Pater.

ECLOGA II.

IAm brevis à medio ſtellati limite cœli
Curſus ad extremam lucis confinia metam
Reſtabat tardis vehitur quibus atra quadrigis
Nox: cum per tuguri non rara foramina, duris
Protinus è ſtratis, pulſo de pectore ſomno,
Suſpiciens ſtupet inſuetum fulgeſcere ſydus
Fauſtus, & obſcuras noctis tenuare tenebras,
Æthera dum teneris complent balatibus agni,
Inſcius & patrem verbis compellat amicis.

Fau. Quæ nova præradiat Stellas fulgore minores
Stella novo, Sylvane Pater? nam lumine quarto,
Poſtquam Felſinei ſentimus frigora Rheni,
Pinguia deſertæ linquentes paſcua Lunæ

Solis ab exortu proceſſit clarius aſtrum?
Cernis, vt ijs Paphij concedant ignibus ignes,
Vtque novum terræ ſtupeant luceſcere ſydus!
Syl. Fauſte, ſalutiferos pueri iam prodidit ortus
Ignea, quæ dudum præfulget ab æthere lampas,
Divini pueri, quem ſacro numine vates
Sæpius afflati celebres quandoque daturum
Magna perexiguis cecinerunt nomina terris,
Et quæ, Mantoæ, reſidens in margine ripæ,
Nobile dum tenerà modulatur arundine carmen,
Veridicq nobis prædixit Tityrus ore,
Demitti cœlo, & Saturnia regna redire:
Hæc eadem (ſic fama volat vulgata per orbem)
Prævia munificos ſecuro tramite lampas
Nuper ab extremo reges oriente profectos
Duxit ad infantis diuina mapalia cunas.
Scilicet vt cunctis demiſſam gentibus alto
Progeniem cœlo, poſito diademate reges,
Muneribuſque datis proni venerentur, adorent,
Quem modo naſcentem purà de Virgine mille
Circuiere chori ſuperum, cantuſque dedere
Mellifluos, caperent dulcem cum languida ſomnum
Corpora per terras, parvique in ouilibus agni.
Cuj manus indigenum paſtorum fida tulerunt
Munera frondentes ramos, virideſque corollas,
Grataque jocundo ſylveſtria dona rubore,
Et genibus pronis cantarunt dulciter hymnos:
Cui blandum jumenta caput (mirabile cunctis
Oſtentum ſeclis) acclinavere trementi
Poplite, ſucciduoque genu (ſic fama vagatur)
Permodico fultum fovent ſtramine regem
Flatibus alternis, & anhelo ſæpius ore,
(Dum riget acris hyems, nimioque algore december)
Cœlicolum regem, lumen de lumine natum,
Aurea cui magni famulantur Sydera Cœli.

Hæ prius auditæ referuntur ab æthere voces;
Gloria ſupremi regum per ſecula regis
Hic erit, hic partus, totique ſalutifer orbi,
Humano generi, cœleſtia munera, pacem,
Perpetuamque dabit membris, animiſque ſalutem.
Fau. Nos quoque divinam ſobolem (ſi cernere fas eſt
Omnibus) admiſſo quin jam per gramina paſſu
Mollia fœlices properamus viſere cunas?
Ocyus vt matri divæ gratemur, & ipſi
Debita reddamus tanto munuſcula nato,
Fundamuſque preces, & preſſi pocula lactis,
Vt tener è durá fœtus cum matre calentes
Imbuat, & ſacras noſtris ab ovilibus aras.
Iam, mihi jam videor manibus dare lilia plenis,
Spargere purpureis fœlicia floribus antra,
Fœlicemque caſam varijs intendere ſertis:
Nunc præmaturos riſus, nunc cernere luſus,
Et modo virgineas ſugentem ſæpe papillas.
Syl. Fauſte, mihi dilecte puer, mea ſola voluptas,
Qualia diffundunt lætam mihi gaudia mentem?
Cum teneris jam te cultorem numinis annis
Aſpicio: cultuque pio gaudere Deorum.
Macte novà pietate puer, ſic numina ſervant
Et pecus, & domines, ſic dira pericula pellunt,
Sic numeroſa gregem ſupplet fœtura puſillum.
Tanta quidem de te ſpes eſt concepta parenti,
Vt prorſus jam nulla ſeni ſolatia deſint.
Non tamen eſt, quod, nate, putes hunc ferre laborem,
Nec longas tentare vias, vt parvula magni,
Divinique puer pueri cunabula viſas.
Quo duce? fida quidem nobis, ſed inutilis ætas,
Vertice jam cano greſſum tardante ſenectà,
Eſt iter ignotum, diſcrimina mille, nec vllus
Cui parvi ſit cura gregis cuſtode remoto.
Quocirca (ſint æqua licet) tua reprime vota,

Hoc ſat erit quocunque loco, ſi, nate, quotannis,
Vivere dum dabitur, natalia magna colemus,
Fundemuſque preces magnæ de more parenti,
Annua felicis celebrantes gaudia partus.

Fau. Vera mones, genitor; quid enim (ſi vera loquamur)
Quid refert quà quiſque colat pia numina terrà?
Nec tantum pia thura deos, nec victima quæque
Conciliant homini: nec gemmea dona, nec aurum,
Quantum ſola fides, & mens, & pura voluntas.
Sed feriunt radij montana cacumina Solis;
Surgamus: gnavos pecoris decet eſſe magiſtros.
Poſtmodo candidulum ſtructà de mollibus arà
Cæſpitibus læti puero mactabimus agnum,
Virgineæ matri niveam cum prole juvencam.

DE
DOMINICA PASSIONE.
INTERLOCVTORES
Lycidas, & Menalcas.

ECLOGA III.

QVænam tanta diu Solymis te cauſa, Menalca,
Detinuit? tune oblitus nemorumque, tuæque
Phyllidis, abſentem quæ te ſuſpirat amoris
Impatiens, queriturque ſibi placuiſſe Menalcam?
Septima nanque dies, poſtquam cuſtode vagari
Te ſine cornigeras per devia rura juvencas
Cernimus, exacta eſt, &, quod ſuper omnia miror,

Nunc etiam, tibi cum lætus gratatur amicus
Incolumi (nam te non eſt mihi carior alter)
Ad nos lenta refers triſti veſtigia vultu.
Ede moræ, & tanti cauſas mœroris amico.

Men. O Lycida, tibi ſi referam quàm dira ſub illis
Mœnibus, immitis quà ſe Caluaria tollit,
His ipſis oculis vidi, puduitque videre.
Non modo, non (mihi crede) moras mirabere noſtras,
Nec triſtes adeò noſtros mirabere vultus,
Sed gemitus, lachrymaſque dabis: non cura capellas
Paſcere, nonve canes fuerit, non retia cervis
Tendere; ſordebunt Veneres, & quæque voluptas.
Hæc mala cunctarum facient oblivia rerum,
Tanta tuam capiet prorſus miſeratio mentem.

Lyci. Et quæ tanta paras? quæ tam crudelia nobis
Pandere? quid magnà vidiſti triſte ſub vrbe.

Men. Abdiderat ſe ſe dubio certamine victus
Longius in ſylvas armenti gloria taurus
Multa gemens duri plagas victoris, & ingens
Dedecus ereptæ conſumptus amore iuvencæ.
Dum ſequor amiſſum per devia ſaxa, per altos
Dum ſequor & lucos, inter deſerta ferarum,
Ter mea cœliuagum Phœbæi luminis orbem
Lumina ſurgentem, ter conſpexere cadentem.
Hæc tamen (ipſe vides) opera eſt deperdita nobis
Tota, tot incaſſum fuſi petiere labores.
Progredior (quid enim multis incommoda narrem
Noſtra tibi?) Solymas verſus, totamque pererro
Convallem, campoſque, mihi dum factus Amyntas
Obvius, ex imis remeat dum forte lacunis,
Sedulus ingratam cum me perduxit in vrbem,
Qui modo ſolliciti digreſſu mœſtus amici
Eſt tibi (ni fallor) vicino viſus in arvo.

Lyci. Viſus, & ille quidem de te mihi tale roganti
Reſponſum dedit; ô Lycida, quàm dira referre,

Si

Si vacet, hic poſſim, lachrymæ licèt, & ſingultus
Impediant, ſed & illa tibi narrare, Menalcas
Et ſciet, & poterit melius, cui copia fandi,
Et lepor omnis ineſt, & pictæ gratia linguæ;
Actutum reor hic aderit; nam pone relictus
Inſequitur lento mœrens per gramina paſſu,
Credita me reuocat pecoris cuſtodia Mopſo.
Sed jam perge, libens arrectis auribus aſto,
Triſtia ſi referas, conſolaturus amicum:

Men. Quàm vereor ne tu pariter ſolamine dignus
Indigeas, pariterque dolens fomenta requiras,
Triſtior hic placidas cùm lædet nuntius aures.

Lyci. Magna refers: tamen apta mihi natura, Menalca,
Seu vis lætitiam, ſeu vis me ferre dolorem.

Men. Vix bene tranſieram funeſtę limina portæ,
Ingrediens, oculos circum per cuncta ferebam,
Mirabar celſas turres, immania templa,
Multaque marmoreis ſublimia tecta columnis.
Eccę autem juvenis duro pia colla capiſtro
Ducitur euinctus (ſcelus ah crudele) per vrbem,
Immeritus juvenis, vaſtam ſpectacula portans
Dira Crucem feſſis humeris, à vertice totus
Ad talos fluido perfuſus membra cruore.
Conſpuitur facies, cæduntur tempora palmis,
Tempora mille locis rigidâ perfoſſa coronâ.
Impius exterrens propellit terga ſatelles.
Longior ipſe gradum propulſi tardat amictus;
Succumbunt oneri languentes ſæpius artus.
Conſequitur clypeata cohors, haſtataque turba,
Fœmineiſque viæ complentur queſtubus omnes,
Et celſæ reſonant mœſtis plangoribus ædes.
Subſequimur fleates teneră pietate miſellum.
Eſt vrbe egreſſis tumulus, Calvaria noto
Nomine ſat notâ campi regione vocatur.
Ducitur huc juvenis per mille opprobria, atque

Deli-

Deriſus, crebris colaphis, & calcibus inſons
Cæſus, & inſano defeſſus membra labore.
Quid moror?, actutum ſublatus ad æthera ligno
Altius infixo, terrâ confixus, & ipſe
Extenſas tranſverſa manus, heu vertice prono,
Immeritoſque pedes clavo penetrante videtur
Nudus, inops, tenui tantum velamine tectus
(Corporis heu minimam partem) perfuſus & atro,
Heu, faciem tabo, barbam, crineſque revulſus,
Quodque minus dignum fuit, inter fœda nocentum
Corpora, non vnâ tantum digniſſima cæde.
Id dolui, doleoque magis, ſemperque dolebo.
Tot poſt probra, minas, convicia, verbera, morſus;
Tradita dira viro ſitienti pocula dextris
Pocula ſacrilegis, & deteſtanda per annos
Pocula venturos, ſimæ dum fronde capellæ,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Dum freta, labentes fluvios dum piſcis amabit.
Non ſatis hæc fuerant, percuſſit lancea dextrum
Lancea dira latus, quo magnus vulnere torrens
Fluxit, &, heu, ſacro tellus madefacta cruore,
Et cita languentes Mors eſt properata per artus.
Tum Deus inſontem natum miſeratus ab alto
(Hunc etenim ſubito ſcelerata per agmina rumor
Exierat genitum divini ſemine verbi)
Occuluit cæcâ trepidas caligine terras,
Terruit & ſubito mortalia pectora motu,
Ne chaos antiquum confunderet omnia, nevè,
Hiſceret ad cæcos tellus exterrita manes.
Scilicet extincto manifeſti ſigna doloris
Inſonti rectore (nefas) elementa dedere.
Lyci. Hei mihi! cui tantum licuit de prole parentis
Virgineæ? tantâ nam quis feritate? quis autor
Ah ſceleris tanti? quæ tanta inſania, quemque,
Aut furor inſontem manibus ſævire cruentis

Impu-

Impulit in juvenem? blandæ cui ſæpe monenti
Alluſere feræ, toties cui frigida ſerpens
Submiſit placata minas, cui nubilus aer
Arriſit, rabidæ toties ceſſere procellæ.
Exiguo Cereris qui pavit munere turbas
Per juga, per valles imas, per teſqua ſecutas.
Languida ſanavit nullo medicamine membra
A Styge defunctos vitâ revocavit inerti:
Hæc meruit pietas? & tot benefacta per omnes
Iam pridem terras, quas interlabitur ingens
Vorticibus placidis fluvio Iordanus amœno
Nam, memini, nimium longævi blanda parentis
Verba mihi dudum teneris percepta ſub annis,
Vt juvenis puero ſancti de Virgine nato
Aſtiterit patrijs felici nocte ſub antris
Dona ferens, ſacroſque pius cantaverit hymnos,
Cum ſocijs, quos illa tulit fœlicior ætas,
Aligerâ ſuperum circum plaudente coronâ,
Vt vel ab extremo jam tunc oriente profecti
Attulerint parvo magni pia munera reges,
Fœlici monſtrante viam fœliciter aſtro.
Firmior ut demum pueri mox creverit ætas,
Vt jam mille modis de ſe miracula rerum
Ediderit populis verum teſtantia numen:
Traxerit ad cultum ſupremi noſtra parentis
Sæcula, ſemiferas divino hortamine gentes.
Et nunc (proh noſtri quæ magna infamia ſecli!)
Inventi, qui tanta pio tormenta pararint,
Indignamque nimis poſt mille opprobria mortem.
Cur? niſi quæ ſemper morſu diſcerpit edaci
Optima quæque ſuo, ſic laudatiſſima quæque,
Invidia turpi juvenem jam flumina, rupes
Extinctum, & montes crudeli funere deflent.
Quam vereor ne mœſta rubos mala gramina tellus,
Et pro purpureis ſentes producat acutas

Flori-

Floribus, inficiat ſacros putredine fontes,
Pabula ne demat pecori, ne frondibus arbor
Æternum ſpoliata neget paſtoribus vmbras.

Men. Iuſta quidem cauſa eſt; ſed quid peccauimus ipſi
Paſtores, hominum gens manſuetiſſima, fraudis
Neſcia, prædurіs aſſueta laboribus? at jam,
Si ſapimus, magis apta deos, meliora rogemus.
Gens tamen illa ſui meritas dabit impia pęnas
Criminis; haud gratis fuerit ſcelus auſa nefandum.

Lyci. Quid cauſæ eſt, quin jam ſceleratam funditus vrbem
Eruat, atque ſolo divûm pater optimus æquet,
Hoſtibus immiſſis? & cædes ignibus atras
Miſceat? & juſto populetur marte penates?
Subijciat triſti rapidam per ſecula gentem
Seruitio? jugique jugo premat horrida colla?
Et faciet (nam juſta pium mouet ira parentem).
Hoc erat heſternâ quod te cum luce dolerem
Mœſtus abeſſe diu, Solis nitidiſſimus orbis
Palluit, & trepidis ſubtraxit lumina terris
Triſtis, & obſcurâ celans ferrugine vultum
Terruit inductis mortalia corda tenebris,
Et concuſſa novo tremefecit murmure tellus,
Antra, pecus, dominos, magalia, robora, ſyluas.
Sed quid plura querar? ſoboles divina repente
(Certa quidem nobis ſpes hæc) à morte reſurget,
Ne dubita, maior ſuperas remeabit ad oras.
Scilicet hoc lucis jucundo lumine caſſos
Ille pius multos ſtygijs revocavit ab vmbris,
Solus vt in tenebris, & longâ in nocte iaceret?
Non ita ſed clarum referet de morte triumphum.
Parcę puer lachrymis, & magno fide Tonanti,
Debita, qui ſemper virtuti præmia reddit,
Supplicium ſceleri juſtus parat, odit inertes.
Quis ſcit, an illa cubent etiam nunc membra ſepulchro?
Cernis vt omnis ager, tellus arrideat omnis,

Fulgeat

Fulgeat vt pulſâ clarus ferrugine Phœbus,
Et magnum ſolito lætetur pondere cœlum.
Nos tamen intereà felicis carmine molem
Viſentes tumuli facie ſignabimus vdâ.

Men. An mihi jam quicquam tali, ſit munere majus?
Æterno juvenis divinus carmine dignus,
Nec minor inde tibi conſurget gloria noſtris
Montibus, & tractu, qua ſe Iudæa beato
Porrigit, & latos famoſa Samaria fines.

Lyci. Sparge locum lachrymis, & odoro flore viator.
Hic jacuit, qui cuncta regit, cui ſydera parent,
Vt tibi vita foret, crudeli morte peremptus.
Hunc pater omnipotens acto de morte triumpho
Suſtulit ad ſuperas æterna in gaudia ſedes.

Men. Haud aliter poteras noſtrum lenire laborem,
Meque mihi, Lycida, & contemptæ reddere vitæ.
Nam mea non tantum nimio defeſſa labore
Membra quies optata levat, cum forte ſub antro
Gramineo recubans, platano vel forte ſub altâ
Propter aquæ rivum molli projectus in herbâ
Audio torrenti volucres æſtate canoras,
Quantum ſollicito noſtrum mœrore levarunt
Optima nunc animum cari fomenta ſodalis.
Par dolor, & mœſto fuſi de pectore queſtus,
Sparſaque nectareo cœleſtia carmina rore,
Pro quibus oramus mortem qui paſſus acerbam,
Vt redimat cunctos, hominum, divûmque parentem,
Debita poſt cineres, & vivo præmia reddat.
Nulla quidem me (teſtor eum, quem flevimus) ætas
Arguet immemorem meriti per ſæcula tanti.
Sed jam cura boum revocat non parva Menalcam,
Et Sol Heſperijs decedens mergitur vndis.
Chare, vale, Lycida, & chari memor eſto ſodalis.

PHILARCHVS.

INTERLOCVTORES.

Laurinus, & Fauſtulus.

ECLOGA IV.

Lau. FAuſtule, nocturnos taciti vigilamus ad ignes,
Et taciti longas inſomnes ducimus horas.
Quin potius, quàm valle greges paſcamus apricâ,
Mane pruinoſas vbi Sol ſiccaverit herbas
Craſtinus, inter nos loquimur? ne lumina ſerpens
Noſtra ſopor fallat; ſic vim, fraudeſque ferarum,
Et quæ multa ſolent afferre pericula caſus
Tutius a noſtris arcebimus omnia mandris.
Fau. Haud ſpernenda mones; nam totam ſternere noctem
Non decet inſignes pecoris, Laurine, Magiſtros,
Et vario ſuadent gelidi ſermone Decembres
Fallere prælongæ ſegniſſima tempora noctis.
Illa tamen quoties noſtro pendentia collo
Munera conſpicio magni monumenta Philarchi
Admoneor, cupioque viri præconia tanti
Dicere; ne meriti videar nimis immemor vnquam.
Turpius ingrato nihil eſt, quod dicere poſſis.
Lau. Fauſtule, nos eadem (fateor) tenet illa cupido,
Sed furor, & dignæ deſunt in carmina vires:
Eſt gracilis (fateor) mea fiſtula: debile carmen,
Vox tenuis: quæ ſi cantu placuiſſe laboret,
Diſpliceat magis: & laudes in crimina vertat:
Ipſe autem magni Corydonis voce Philarchus
Dignus, & altiloquum depoſcit Tytiron: etſi
Blandius argutâ quiſquam modulatur auena.
Fau. Verà refers: quis enim tanta probitate verendus

Eſſe

Eſſe queat? nulli certè pietate ſecundum
Invenias: illo quiſquam ſervantior æqui
Non fuit in terris: quæ ſunt Atlantis ab alto
Vertice, Caucaſeas ad ſumma cacumina cautes:
Hoc Ligur, hoc Venetus Paſtor jam novit, & Vmber,
Novit & Ethruſci quisquis vada deſpicit Arni:
Nam quas ruricolum lites non voce diremit?
Aut vbi non ſeuit divinæ ſemina pacis?
Chriſticolum poſt mille greges ex hoſte receptos
Terribili: cui nulla ſubit pietatis imago,
Qui non jure gregis Paſtor dicendus; at ingens
Et nemorum terror, ſuperum contemptor, abactor,
Impius, immanis, nec dignus nomine, prædo;
Non ea nempe viget noſtri natura Philarchi,
Qui pius, & clemens omnes complectitur: omnes
Et fovet, & mirâ ſolers virtute tuetur,
Chriſticolum decus, & melioris gloria gentis:
Hic velut Alcides alter genus acre Luporum,
Summovit procul à ſtabulis: immania moſtra
Perdomuit; tribuit paſtoribus ocia cunctis,
Qui rapidas Atheſis, qui potant Tybridis vndas
Quos Picenus ager, quos frigida Nurſia paſcit,
Et qui deſertæ ſectantur paſcua Lunæ.
Denique ne memorem tibi cætera: nonne Philarchus
Altera Saturni fœlicia ſecula nobis
Rettulit? & meritis mortalia vota benignus
Vicit, Olympiacâ nobis demiſſus ab arce?
[L]an. Quas tibi, quas tribuam tali pro carmine laudes?
Nam neque me tantum blandi levis aura favoni
Æſtivo ſub ſole juvat: nec garrula tantum
Dum queritur longum denſâ philomela ſub vmbrâ,
Nec tantum leve murmur apis: dum vere ſereno
Floribus inſidit varijs, lenique ſuſurro
Invitat dulces per mollia gramina ſomnos.
Hinc te tanta manet (me judice) gloria: quantus
Dici-

Dicitur, & quanta dignus jam laude Philarchus,
Sed ſatis hæc gracili calamo luſiſſe Philarcho:
Nos quoque, ne ſuperum (quæ magna infamia) rector
Arguat immemores, ortus inſtare monemur,
Atque ſalutiferi jam jam ſolemnia Chriſti;
Fortunata dies omni memorabilis ævo,
Fortunata dies niveo ſignanda lapillo,
Quâ nova progenies, cœlo demiſſa pudicæ
Virginis in lucem ſacratâ prodijt alvo,
Humano generi lucem quæ protulit almam,
Omnibus è terris tenebras diſcuſſit inertes:
Hęc obſtructa diu primævi labe parentis
Fulgidâ ſyderei reſeravit limina Cœli.
Hæc iter ad ſuperos directo limite pandit.
Hanc rerum natura parens miratur: adorat,
Cœleſteſque chori celebrant; formidat Avernus:
Hanc igitur læti ſolito de more colamus,
Hanc nos præcipuo ſemper veneremur honore;
Maſcula thura crement, & odoræ cinnama flammæ
Addantur, & ligna focis pręgrandia; largus,
Ignis vbique caſas, magalia quæque ſerenet;
Et ſolito ſua dona Ceres majora reponi
Miretur menſis; cunctis ab ovilibus agnus
Inficiat cultros, & pingues imbuat aras:
Fax. Iuſta mones, dilecte puer (nec verà negabo)
Tanta tuis crevit nobis reuerentia verbis,
Numinis accenſi tanto flagramus amore,
Vt pia perfundant totum mihi gaudia pectus;
Nil niſi divinum tacitus mecum ipſe voluto.
Sed piger inflexo placidos temone Bootes
Invitat ſomnos: fidi, pia cura, mol oſſi
Et pecus, & dominos obſcurâ noctis in vmbrâ
Servabunt, ſurgente die (modo craſtiua fœlix
Fulſerit hora) greges pulſis jam Sole pruinis
Mollibus in pratis Rheni paſcemus ad vndam.
Pone caput, feſſoſq; oculos jam trade quieti.

Digitized by Google

AD CAROLVM QVINTVM CÆSAREM, ET FRANCISCVM GALLORVM REGEM,

EXHORTATIO AD PACEM.

VOs, quibus eſt Orbis noſtri, populique Fidelis
Imperium, veræ fidei fulcimina, Reges,
Præcipua, o Cæſar, tuque, o cui Gallicus axis
Paret, & Arctoi famulantur cardinis arces,
Ponite pacatis odium crudele minaces
Tandem animis, & ſiqua patens injuria menteis
Concitat egregijs, vobis oblivia tollant
Vincat amor, fidæ coeant in fœdera dextræ
Sit vobis pietas pluris, quam regna, vel vrbes
Innumeræ, vos illa deis conjungat, & æquet
Arma, quibus tam veſtra potens, & maxima virtus
Pollet, in adverſos totis convertite Turcas
Viribus, & jam veſtra modum concordia ponat
Luctibus Heſperiæ, vel ſiqua eſt gratia, ſiquis,
Siquis honos Chriſti, magnæ ſuccurrite fortes
Europæ, ac potius tantas prohibete ruinas,
Quas parat infidi violentior ira Tyranni
Chriſticolis, vobiſque parat, ferte obvia ſignis
Signa pares animis, & tela minantia Turcis.
Ite animis contra, celebreſque referte triumphos,

Neu læſum toties Chriſtum linquatis inultum;
Viribus hoc veſtris, hoc veſtro robore dignum,
Quodque canant Vatum multis monumenta libellis.
Obſecrat hoc triplici poſito diademate magnus
Paulus, & incurvo obteſtatur vertice ſupplex,
Chriſticolæ cui cura gregis, cui numine divûm
Obtigit electi ſors illa vicaria Petri.
Hoc jubet immenſus magni regnator Olympi,
Plurima pro nobis qui vulnera paſſus acerba,
Vt dulcem nobis penſaret morte ſalutem.
Vos manet hæc ambos, manet hæc vos gloria, ſolis
Debetur vobis victoria tanta duobus,
Quos ſibi de cunctis fidos delegit amicos
Ille pater divûm, rerum cui ſumma poteſtas,
Et præſtare dedit cunctos pietate, vel armis.

AD ANTONIVM ANNVLVM

Pro Muneribus, & Verſiculis.

His me verſiculis, his me petis, Annule, donis,
Alterutris vt ſi tecum certa re laborem,
Succumbam ſubitò, & de me tibi palma feratur.
Muneribus facile eſt inopem ſuperare poetam
Carminibus non tam cui vis; teſtantur Amorem
Munera; ſeu vincar, ſeu tu vincaris amore,
Dulce mihi fuerit (ſuperos teſtamur) vtrumque.
Sed certare jubet, quam donas pagina verſu.
Verſu certemus, verſu laudabile vinci
Eſt quoque, cum docto ſi ſunt certamina vate.

IO.

IOANNIS GANDVLPHI BONONIENSIS

ELEGIARVM LIBER PRIMVS.

Ad Beatiſſimam Dei Optimi Maximi Genitricem Mariam ſemper Virginem.

ELEGIA I.

SPicea fœcundam Cererem ſi ſerta coronant,
Vvida ſi Bromio grata corona datur.
Si ſua Phœbęos exornant laurea crines,
Purpureæ Tellurem & decuere roſæ:
Si ſua Cecropiam tollunt inventa Minervam,
Vnde fluit nobis optimus ille liquor.
Quæ tibi, Virgo parens, Cœli Regina micantis,
Quæ dabitur capiti digna corona tuo?
Non aurum, non gemma nitens, non quidquid vbique eſt
Æqua paret meritis præmia nempe tuis;
Singula cuique Deo pariant ſua munera laudem,
Humani generis diceris vna ſalus.
Scilicet Eva parens olim quod triſtis ademit,
Alma ſalutifero germine Virgo refers.
Vt Cœlum repetant animæ poſt fata fideles,
Ætheris immenſi pervia porta pates.
Quæque redempta tui pretioſo ſanguine partus
Exultet verâ natio lætitia,
Mortalis te lingua canit; tibi militat æther,
Te tremit inferni regia cæca Iovis.
Semper & aſſiſtunt lætum pæana canentes

Felices animæ, cœlicolûmque chori.
Lucifer æthereâ ſedem tibi præbet in arce.
Tempora Phœbæâ lampade clara micant.
Indiſcretus honor tibi cum Genitore, pioque
Filiolo, & ſacro Pneumate ſemper erit.
Hæc tibi cœleſtis Natus, Regina rependit;
Hæc ſunt, hæc meritis præmia digna tuis:
Alma per hæc, ò Virgo, piâ te voce precamur,
Protege Chriſtigenas ſemper ab hoſte pios.
Et caligantes mentis depelle tenebras,
Vt noſcant ſummi tot benefacta patris;
Et grati vobis grates, laudeſque rependant.
Sunt ſatis iſta tibi, ſunt ſatis iſta Deo.

Ad eandem Beatiſſimam D. O. M. Genitricem Mariam ſemper Virginem, In Feſto NIVIS.

ELEGIA II.

Syderei Regina poli mitiſſima ſalue,
Fœminei ſexus gloria, noſtra ſalus.
Nil te candidius, nihil eſt te purius vnà,
Conveniens purâ de nive nomen habes.
Quid mirum ſi ſola Deo pulcherrima viſa es?
Dignaque quæ Chriſti purior aula fores?
Te ſibi delegit Sponſam de millibus vnam,
Et matrem ſalvâ virginitate Deus.
Quos prius Eva nocens terris addixerat vmbris,
Servaret fructus ventris vt ille tui,
Te per virginei decus immortale pudoris,
Quos pia ſervaſti diva tuere precor.

De

De Partu Virginis.

ELEGIA III.

MVſa ſalutiferi referamus gaudia partùs,
Annua qui nobis gaudia vera parit;
Annuat audaci divina puerpera cœpto:
Audiat æthereâ magnus ab arce puer.
Scilicet hæc referunt priſcæ ſpectacula noctis
Aurea, quæ terris exhibuere Deum.
Tum cum lætitiæ præſagia læta futuræ,
Et dedit, & ſummâ riſit ab arce pater:
Cum patris æterni ſummo demiſſus Olympo
Filius in purâ Virgine factus homo:
Prodijt in lucem nono poſt menſe, ſilenti
Nocte, ſub anguſtæ tegmine forte caſæ
Naturâ mirante ſuum; rerumque parentem
Enaſci miris tam potuiſſe modis.
Quà Bethleemiacæ deſpectant paſcua turres,
Pinguia ſylvoſis paſcua juncta jugis.
Quo ſuperum coiere chori plaudentibus alis,
Et lætum proni concinuere melos.
Paſtorumque manus vario modulamine ſylvas
Perſonuit, puero dum pia dona parat.
Dona parat niveo ſpumantia pocula lacte,
Albaque purpureis lilia mixta roſis.
Frondentes alij ramos, ij dulcia mella,
Rubraque vimineis poma ferunt calathis;
Æthereos etenim cantus, ignemque ſecuti
Quæſitum tandem comperiere locum.
Cum tener intereà duro præſepe fovetur,
Frigore brumali rura coquente puer
Flatibus alternis bovis hinc, hinc mitis aſelli,
Cum fovet in tacito gaudia virgo ſua.

 Inde

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Felices animæ, cœlicolùmque chori.
Lucifer ætherea ſedem tibi præbet in arce.
Tempora Phœbæâ lampade clara micant.
Indiſcretus honor tibi cum Genitore, pioque
Filiolo, & ſacro Pneumate ſemper erit.
Hæc tibi cœleſtis Natus, Regina rependit;
Hæc ſunt, hæc meritis præmia digna tuis:
Alma per hæc, ò Virgo, pià te voce precamur,
Protege Chriſtigenas ſemper ab hoſte pios.
Et caligantes mentis depelle tenebras,
Vt noſcant ſummi tot benefacta patris;
Et grati vobis grates, laudeſque rependant.
Sunt ſatis iſta tibi, ſunt ſatis iſta Deo.

Ad eandem Beatiſſimam D. O. M. Genitricem Mariam ſemper Virginem, In Feſto NIVIS.

ELEGIA II.

Syderei Règina poli mitiſſima ſalue,
Fœminei ſexus gloria, noſtra ſalus.
Nil te candidius, nihil eſt te purius vnà,
Conveniens purà de nive nomen habes.
Quid mirum ſi ſola Deo pulcherrima viſa es?
Dignaque quæ Chriſti purior aula fores?
Te ſibi delegit Sponſam de millibus vnam,
Et matrem ſalvâ virginitate Deus.
Quos prius Eva nocens terris addixerat vmbris,
Servaret fructus ventris vt ille tui,
Te per virginei decus immortale pudoris,
Quos pia ſervaſti diva tuere precor.

De

De Partu Virginis.

ELEGIA III.

MVſa ſalutiferi referamus gaudia partùs,
Annua qui nobis gaudia vera parit;
Annuat audaci diuina puerpera cœpto:
Audiat æthereâ magnus ab arce puer.
Scilicet hæc referunt priſcæ ſpectacula noctis
Aurea, quæ terris exhibuere Deum.
Tum cum lætitiæ præſagia læta futuræ,
Et dedit, & ſummâ riſit ab arce pater:
Cum patris æterni ſummo demiſſus Olympo
Filius in purâ Virgine factus homo:
Prodijt in lucem nono poſt menſe, ſilenti
Nocte, ſub anguſtæ tegmine forte caſæ
Naturâ mirante ſuum; rerumque parentem
Enaſci miris tam potuiſſe modis.
Quà Bethleemiacæ deſpectant paſcua turres,
Pinguia ſyluoſis paſcua iuncta iugis.
Quo ſuperum coiere chori plaudentibus alis,
Et lætum proni concinuere melos.
Paſtorumque manus vario modulamine ſyluas
Perſonuit, puero dum pia dona parat.
Dona parat niueo ſpumantia pocula lacte,
Albaque purpureis lilia mixta roſis.
Frondentes alij ramos, ij dulcia mella,
Rubraque vimineis poma ferunt calathis.
Æthereos etenim cantus, ignemque ſecuti
Quæſitum tandem comperiere locum.
Cum tener intereà duro præſepe fouetur,
Frigore brumali rura coquente puer
Flatibus alternis bouis hinc, hinc mitis aſelli,
Cum fouet in tacito gaudia virgo ſinu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Inde ſenex baculo cuſtos innixus adorat
Cernuus in puero numina trina rogans.
Dent veniam, ſacro plenam ſi viſcera Verbo
Tentarit matrem linquere virgineam,
Linquere virgineam matrem cœleſtis alumni
Tentarit Cœli neſcius ille pater.
Mirà in lætitiâ triſtis, tacituſque pudore,
Et dubiæ mentis crimina culpat amans.
Non hìc delicias, non regia tecta videres,
Non aurum, luxus, purpureumve thorum:
Omnia ſed lætâ ſic paupertate renident,
Rideat vt parvæ rimulâ quæque caſæ.
Inſuetâ denſæ fulſerunt luce tenebræ,
Candidior medio nox fuit illa die.
Iam ſileat mendax Iovis incunabula Creta;
Et Latonigenas Delia terra duos.
Hæc pater omnipotens lætis ſpectacula terris
Edidit, & pacis pignora certa dedit.
Spem dedit exilio finis quandoque futuri
Exilio longi temporis ille pater.
Cum datus eſt nobis clauſi qui limina Cœli
Optimus Evigenis panderet exulibus.
Credula quos primæva parens demerſerat Evá
Supplicijs Erebi, perpetuiſque malis.
Cumque puer natus, qui crimina noſtra piaret,
Noſtra redempturus damna cruore ſuo.
Hic eſt præcipuo quem nos veneramur honore
Magnus Olympiacâ miſſus ab arce puer.
Hic eſt ille pio, & venerando nomine IESVS,
Virginei ventris gloria, noſtra ſalus.
Hic eſt veridici quem prædixere Prophetæ,
Quemque ſalutiferum ſacra Thalia vocat.
Sacra Thalia vocat ſancto cognomine Chriſtum,
Quem tremit inferni regia cæca Iovis.
Quemve colunt alti poſito diademate reges,

Aurea qui parent ſydera, terra, fretum.
Ergo omnes tanti celebremus gaudia partus
Annua, qui nobis gaudia vera parit.
Salve, magne puer, pacis fundator, & author.
Salve virgineæ gloria matris, honos.
Salve vera quies, ſpes, conſolatio noſtra,
Et veræ fidei firma columna, decus.
Per te, ſancte puer, per majeſtatis honorem,
Per patris æterni maxima regna precor.
Per tua quæ colimus natalia magna quotannis,
Perque piæ matris gaudia mira tuæ:
Da populis tua per veſtigia ſancta frequentes
Ferre gradus, quæſo da tua vota ſequi.
Da monitus ſervare tuos, da noſcere patrem
Supremum, populis id ſatis eſſe reor.
Tunc neque dira fames nobis, nec ſæva nocebunt
Sydera, nulla lues, nulla nocebit hyems.
Nulla prement juſtos incommoda, nanque beatus,
Qui tua cunque lubens juſſa ſequetur, erit.

Ad Beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Virginem congratulatio de Chriſti Reſurrectione.

ELEGIA IV.

SYderei Regina poli lætare, revixit,
Quem tua geſtarunt viſcera, Chriſtus ovans.
Vivit, & evicta lætum de morte triumphum
Rettulit ad ſummi limina celſa patris.
Vivit, & inferni populatus regna tyranni
Agnus en amiſſas ille redemit oves.
Illius effulgent omni vexilla ſub axe:
Morte ducis populo reddita vita pio eſt.

Terra novis adoperta comis, gratoque virore
Lætitiæ cumulos indicat alma ſuæ.
Mellifluis avium reſonat concentibus æther:
Quæquè vel aſſueto blandius aſtra micant.
Omnia nunc rident, teſtatur gaudia plauſus:
Omnibus orta ſalus, omnibus orta quies:
Pro nobis effunde preces, pia mater, alumno;
Promiſſis dignos nos velit eſſe ſuis.

Pœnitentia.

ELEGIA V.

Flere libet paucis actam per crimina vitam;
Si modo quem lacrymæ pœnituiſſe docent.
Hei mihi, cui melior pars eſt deperdita vitæ,
Dum miſer in præceps, & ſine mente feror!
Talis & amiſſo per cęrula longa magiſtro
Mergitur in ſcopulos præcipitata ratis.
Talis & effuſis nimium feſtinus habenis
Corruit in medio pulvere pronus equus.
Prævia ſæpe mihi dum pro ratione voluntas
Extitit, erranti vera relicta via eſt.
Singula quid referam, quæ me fecere rebellem;
Infenſumque Deo crimina fœda meo?
Quæ miſer, heu, triſti mecum dum mente revolvo;
Trajicit, heu, jaculo triſtia corda dolor.
At mihi nunc mens eſt veteres abſtergere labes,
Abſtergi lachrymis ſi modo fœda queunt.
Nec prius abſiſtam lachrymarum fundere rivos.
Et veniam factis ipſe rogare meis.
Quàm mihi donarit nati clementia culpas,
Magna, tui, genitrix intemerata, meas;

Quod pius vt faciat, nato dignare benigno
Fundere maternas, virgo benigna, preces.
Namque ego jam Chriſtoque meo, Regina, tibique
Nunc, ſupereſt ævi quod mihi cunque, dico.
Hæc mihi ſola placet, ſola eſt mihi vita beata;
Sanctius hoc nullum tempore tempus erit.
Iam mihi jam valeat toties blandita voluptas:
Iam valeat rerum gloria, laudis amor.
Gloria ſola Deo, ſola eſt placuiſſe voluptas
Virgineæ matri; præmia ſolus honor.
Vos quoque jam tandem molles, blandæque valete
Pierides: poſthac Caſtalis vnda vale.
Virgo furor mihi ſolus erit, mea gloria poſthac
Chriſtus erit, vires verſibus ille dabit.
Atque vtinam mens hæc nobis, Regina, fuiſſet,
Florida quo viguit tempore vita prior:
Non mea torquerent interni viſcera morſus,
Nec ſcelerum ſemper qui mihi teſtis adeſt.
Non foret immitis metuendus janitor orci,
Nec foret infernæ nauta timendus aquæ.
Sed mihi ſpes veniæ, nos te miſerante benignà
Virgine, te natum matre precante pium.
Protinus ignovit flenti perjuria Petro;
Deſpiciat lachrymas cur pius ille meas?
Vltima non ſprevit pendentis vota latronis;
Reſpexit lachrymas, fœmineaſque preces.
Pœnitet heu miſerum ductæ per crimina vitæ.
Pœnitet heu nato diſplicuiſſe tuo.
Pœnitet, & nimio ſcinduntur corda dolore:
Apta doloris opem fert medicina dolor.
Hoc ſatis eſſe reor nobis; nam creditur inſons,
O dea, quem ſceleris pœnituiſſe patet:
Quod ſupereſt veræ, mitiſſima numina, veſtro
Pandite cultori, quæſo, ſalutis iter:
Tollite de mentis fuſcum velamen ocellis;

C 5 ii Pel-

Pellite de cecà nubila mente, precor.
Gratus vt agnoſcam veſtræ data munera dextræ,
Muneribuſque datis perfruar vſque memor.
Et date condignas, meritaſque rependere laudes.
Pro meritis laudes munera parva damus.
Scilicet à nobis non dona repoſcitis vlla
Gemmea, non aurum, non orientis opes,
Sed puras animi flammas, mentiſque receſſus.
Mentibus hæc puris munera pura placent;
Ille genus noſtrum Cœlo miſeratus ab alto
Damnatum primi credulitate patris:
Pura ſalutifero complevit viſcera verbo.
Cœleſti facta es numine Virgo parens.
Editus eſt infans ad noſtræ incommoda vitæ,
Paſſus & ille famem, paſſus & ille ſitim.
Quid memorem tantos nati, matriſque labores?
Vagiret trepido dum tener ille ſinu.
Sedula dum vitans violenti tela tyranni,
Ægypti latebras numine tuta petis.
Dum procul à fido cuſtode parentis aberrans
Quæritur, heu, tantà ſedulitate puer.
Edita cum juvenis tot poſt miracula de ſe
Pertulit illuſus jurgia, probra, minas.
Longa ſalutiferi cum poſt jejunia nati
Vidiſti celſà brachia tenſa cruce.
Perfoſſumque latus, barbam, crineſque revulſos,
Et lacerum durà ſente notante caput;
Cum poſt mille alapas, & jurgia, potus aceto
Hoſtibus, ò, dixit, maxime parce pater.
Hæc, & plura libens fuerit cum paſſus, acerbam
Inſuper, & per tot vulnera dira, necem.
Integer heu vitæ, ſceleris puriſſimus, inſons,
Et Deus ex purà virgine factus homo.
Vt pius, heu fœdam pretioſo ſanguine labem
Ablueret, ſordes ablueretque meas.

Non

Non doleam? non mille modis læſiſſe parentem
Me pigeat? non me torqueat vſque dolor?
Non gemitus? non dem lachrymas? non pectora palmis
Percutiam? non jam planctibus ora ſonent?
Omnia cum dederint manifeſti ſigna doloris
Terra, fretum, volucres, & ſine luce polus?
Hoc date cultori, mitiſſima numina, veſtro,
Flere queam vitæ crimina ſæpe meæ.
Nevè ea poſt malus admittam, dum vita manebit,
Dulcior hic riſu tum mihi fletus erit.

Exhortatio ad Chriſticolas adverſus Tentatorem.

ELEGIA VI.

CVltores veræ fidei, Chriſtique fideles,
Dum pia pro Chriſti nomine bella gerunt;
Ignibus hic ſævis amburitur, ille ſecatur,
Hunc rota diſcerpit, figitur ille Cruci.
Aſt alios tollit nigri vis atra veneni,
Plurima nonnullos miſſa ſagitta necat.
Nonnulliscutis eſt vncos direpta per vngueis,
Quam multis carcer triſtia fata tulit?
Obruit hunc lapidum vel grandine denſior imber.
Abſtulit huic hoſtis perfidus enſe caput.
Sic pia poſt varias per mille opprobria cædes
Rettulit ad ſummum turba trophæa ducem.
Sic demum læti ſævos vicere tyrannos,
Vnde micans cingunt gemmea ſerta caput;
Hinc ſuperis fumant poſitæ tot in Vrbibus aræ.
Et ſacrata Deo ſtat ſua cuique dies.
Cauſaque ſit compar tanti certaminis, & non
Gloria ſit palmæ parta futura minor.

Obvia

Obvia conſtanter præduro corpora marti
Demus: erit nobis ductor, & author opis;
Idem, qui docuit ſuperari poſſe tyrannos,
Qui docuit prunas vincere, tela, cruces.
Hoc ſat erit, vitaſſe dolos, vitaſſe potentis
Inſidias hoſtis, quæ tamen vſque patent.
Quod facilè vt, fiat, firmandus caſſide vertex
Et veræ fidei robore pectus erit.
Calcanda eſt nobis inflati gloria faſtus,
Spernendus nobis ambitioſus honor.
Compedibus cohibenda Venus, fugienda voluptas,
Siqua valet mentem mergere; ſiqua nocet;
Abſit & ira tenax, pellatur pallida ſemper
Invidia, & linguæ morſus acerbus, atrox.
Non illas Erebi furias, non monſtra putemus
Sæva magis, vatum quæ monimenta canunt.
Sit procul à nobis odij crudele venenum,
Et quicquid fratrem lædere poſſe putas.
His petimur parvo ſemper diſcrimine telis.
Inſidias nobis has ferus ille parat.
Fortiter audaces dirum pugnemus in hoſtem;
Nam duce, nil, Chriſto, quod metuamus, erit.
Nec dubites tibi quin reddatur congrua merces:
Quin ſua ſint palmæ præmia, ne dubites.
Æquus adeſt judex, pugnam ſpectabit ab alto,
Et ſua victori præmia reddet ovans.
Tempora gemmatâ cingentur noſtra coronâ
Sedibus æthereis, eſt vbi vera quies.
Eſt vbi vera quies animis, & vita perennis,
Veraque non vllo gaudia mixta metu.
Tum dabitur demum, quæ ſumma, & vera voluptas,
Cernere ſupremi jugiter ora patris.
Vnde fluit quicquid magnus complectitur orbis.
Vnde datur nobis quicquid vbique boni eſt.
Hoc vult ille parens, his juſſit legibus omnes,

Eſſe ſui ſimiles, vt pius aſtra daret.
Omnibus æthereâ quibus inſpiravit ab arce
Cœleſteis animos, effigiemque ſuam.

De adventu Caroli V. Cæſaris in Italiam.

ELEGIA VII.

MAgnus ab occiduis Cæſar ciet agmina terris,
Tyrrhenique petit littora torta ſali.
Summus & ille pater triplici diademate fulgens
Romuleâ forteis mittit ab vrbe viros.
Cognatumque furens in prælia provocat Arnum,
Et jam conantem mergere fonte caput.
Diverſæ num tanta viæ, tantique paratus
Cauſa latet? Vatem Calliopea doce;
Adriaco vires junctus Leo Tuſcus opimam
Heſperiam dirâ jam ditione premit.
Et Nemeæ peſtis velut altera territat vrbes
Finitimas, cædes, exitiumque minans;
Lauricolaſque viros, gentem virtutis alumnam,
Propulit, heu, patrijs bellua vaſta focis.
Et jam triſte diu (ſcelus, ah, crudele) ſubegit
Exilium durâ conditione pati.
Sed novus Alcides claro demiſſus Olympo
Res inopes tandem jam miſeratus adeſt.
Iuſtitiæ vindex, magni luſtrator & orbis,
Terribileſque feras, diraque monſtra domans.
Cujus vt imperium latum vix terminat ingens
Oceanus; nomen ſic ferit aſtra vagum.
Contudit hic fortes Numidas, totieſque rebelles
Perdomuit Gallos, indomitoſque Getas.
Et nunc audaces in prælia ducit Iberos,

Heſperios forti milite complet agros.
Peſſuleoſque novâ cingens indagine colles
Comprimet audacem, Marmaricamque feram.
Illius exuvijs demum, ſpolioque ſuperbus
Quadrijugo curru limina ſcandet ovans.
Limina magnanimo quondam ſervata Camillo,
Limina de cæſâ Virgine nota Iovis.
Poſtmodo lauricolis reddet ſua rura colonis
Romuleo fultus robore forte latus.
Adriacum vaſtâ proſternet mole Leonem,
Fœdabit multo pulvere colla, jubas.
Sed quid parva loquor? leges, & jura ſubactis
Ille dabit populis omnibus æqua pater.
Cædibus, & multâ pollutos labe tyrannos
Opprimet; & laudi præmia digna dabit;
Circum læta feret totum vexilla per orbem,
Pace reget terras, æquoreoſque ſinus,
Aurea quæ quondam Saturno rege fuere
Sæcula, ſub magno Cæſare rurſus erunt.
Talia cuncta Themis ſolers incidit in auro.
Sanxerunt ſtabili numine fata Deûm.

Ad eundem Carolum Quintum.

ELEGIA VIII.

Nyſa ſuo quondam fœlix blandita Lyæo,
Cum redijt domito victor ab hoſte pater.
Alcmenâ genitum coluit longæva vetuſtas,
Et poſuit celebri templa ſuperba Deo.
Aurea pacato cum mille laboribus orbe
Sydera ſcandit ovans, auxit & ille Deos.
Et pia dilectum Crete complexa Tonantem

Poſt

Poſt debellatos funditus anguipedes.
Nunc quoque noſtra tuis gratatur nempè triumphis
Sæpius, & lætis vocibus aſtra ferit,
Maxime, chara tibi populoſa Bononia, Cæſar,
Hoſpite te toties nobilitata ſuo.
Sed quæ templa tibi, quas provida conſtruat aras?
Tu nova templa tibi pectora noſtra facis.
Scilicet immanes ſolo modo nomine Turcas
Fundis, & à noſtro longius orbe fugas!
In tua Leuteros deducis vota rebelles,
Belligeroſque ſequi martia ſigna doces.
Chriſticolaſque pios latà ditione tueris
Alter vt Alcides, alter vt ille pater.
Gloria magna tua eſt, fruimur quòd pace ſerenâ,
Quòd furor hoſtilis, quòd metus omnis abeſt.
Totus agit grates, tibi ſe debere fatetur
Tractus, & Adriaci nobilis ora ſali;
Pro quibus alba trahunt blandæ, tibi, fila ſorores;
Teque diu terris imperitare volunt.
Perfer, & obdura: totus tibi ſerviet orbis,
Immanes venient ſub tua jura Getæ.
Poſtmodo læta feres totum vexilla per orbem,
Romanas aquilas quæque videbit humus.

Ad Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum Gallorum Regem, inter ſe belligerantes.

ELEGIA IX.

PVgnacem toties aquilam cur, Galle, laceſſis?
Cum volucris tanto tuta ſit illa Deo.
Spem licet optatæ portendant ſydera palmæ,
Non potes adverſo vincere, Galle, Iove.

Quin

Quin potius ſanctum volucres componite fœdus,
Et fera Marmaricis bella parate feris.
Tollite concordes victricia tollite ſigna,
Nam ſubitam facerent hoſtica ſigna fugam,
Galle vel horriſono cantu terrere Leones,
Vnguibus illa ſuis dilacerare poteſt.
Ne dubitate decus, lætoſque referre triumphos.
Perfacilis magno palma favente Iove.

Querela ad Iovem pro Cæſare.

ELEGIA X.

INſultat criſtata cohors, penniſque ſuperba
Inſultat volucri, Iuppiter alme, tuæ.
Et pateris, placidoque vales hæc cernere vultu?
Inſultant ſignis hoſtica ſigna tuis.
Invida quid ſubito aſſultu ſors proſpera ceſſit?
Intentam prædæ Gallus adortus avem.
Illa tamen tibi delicias, & pignora regum
Ocyus in Cœlum fida miniſtra tulit.
Illa gigantæo comes indefeſſa duello
Tela dedit, ſuperis mitis, opemque tulit.
Nunc gemit inſuetum ſolito deſerta favore,
Æternumque, pater, ſi patiare, gemet;
Congrua ſunt tantis meritis hæc præmia? ſummum
Ah memorem meriti ſic decet eſſe Iovem?

In Cæſarem poſt cladem acceptam à Gallis apud Rhodanum.

ELEGIA XI.

DEſtituit Carlum ſolito fortuna favore.
Fortunâ levius, mobiliuſque nihil.

Ege-

Egerat hic triplicem diverſo ex hoſte triumphum.
Quid referam? teſtis Gallia, Roma, Libes.
Feſtinat dum victor ovans invadere quartum,
Terga (nefas) Carlo ſors inimica dedit.
Arma laceſſitus Gallum dum vertit in hoſtem.
Inſuetà Rhodani ſtrage cruentat aquas.
Sæviat vt fortuna libet, mutata dolebit
Poſtmodo ſic Carlum deſtituiſſe ſuum;
Invida cum cernet victricia ſigna ferentem
Illa velit, nolit, Carole, victor eris;
Tu tamen & ſternes Numidas, Galloſque rebelles,
Vni debetur gloria tanta tibi;
Eſt aliquid ſentire Iovem quandoque faventem.
Sors jacet, & fatum cum favet ille Deus.
Hæc mihi, dum ſolus geniali rure morarer,
Veridico cecinit carmine diva Themis.

Ad Antimachum.

ELEGIA XII.

NOn ego pollicitis, nec ſpe pellectus inani
Carmina de magno Cæſare pauca dedi.
Geſta nec indomiti carpſi, celebreſque triumphos,
Quod falsò de me queſta Thalia tua eſt.
Nec me muneribus totus corruperit orbis,
Detrahat vt tanto noſtra Camœna duci;
Et me quòd furijs jactas agitarier, hic te
Mendaci decuit purius ore loqui.
Cæſaris invicti ſortem ſum queſtus iniquam,
Quòdque minus votis illa ſecunda foret.
Quòd nimis invidit fœlicibus impia cœptis,
Preſſit & in medio turgida vela mari;

Quodque vel immitem ſe denique verſa novercam
Præſtitit, heu, mitis, quæ fuit ante parens;
Non arces Carlo, fateor, non Gallus ademit
Oppida, non forti parta trophæa manu.
Sed tamen ingentes non proſpera nempe ſecuta eſt
Conatus, cui non maxima cœpta patent?
Impete cum vaſto timidum proceſſit in hoſtem,
Sternere dum Rhodani flumina ponte parat.
Cum tamen, heu, tantis ſucceſſibus invida Cæſar
Fata ſit expertus (proh dolor) atque Deos;
Hæc ego ſum queſtus, nec me pudet iſta fateri,
Mea quod tantum carmina crimen habent.
Non ego deſertor magni ſum Cæſaris, atque
Transfuga, cum partes Cæſaris vſque ſequar.
Nil me candidius, nil me conſtantius vno;
Fallitur hæc, ſiquis vera negare velit.
Sed neque me quenquam dices magis eſſe fidelem
Si noris mores, ingeniumque meum;
Quo magis admiror qui ſim tibi viſus & inſons,
Quem laceres dignus dente furente minax,
Quodque magis doleo, nobis pejora mineris,
Tincta Lycambeo ſanguine tela paras;
Quid me perfidiæ? quid me levitatis iniquus
Arguis? Hæc noſter præmia poſcit amor?
Nec tamen indignor, tanto quod vindice Cæſar
Tutus ab invidiæ morſibus eſſe queat.
Quin ego lividulis, ſi quos habet optimus heros,
Sic vtinam eveniant peſſima quæque precor;
Si tamen & tanto te judice, forte videntur
Lædere Cæſareum carmina noſtra decus;
Trade focis, demerge pado, conſciſſa procellis
Trade vagis, pœnas quaslibet illa luant.
Ipſe recantatis fias modo fidus amicus
Carminibus Iano, qui cupit eſſe tuus.

Ad Eundem.

ELEGIA XIII.

INviſis pones elegis, doctiſſime tandem
Quem tu cumque volens, Cæſariane, modum
Seu flammis, ſeu lene padi labentibus vndis,
Seu Maris Adriaci fluctibus horriſonis:
Impius ille furor me Cæſaris arma coegit
Linquere, cui norunt ſecula nulla parem.
Impius ille furor, qui nos docet omnia caſu,
Non ſuperum nutu, non ratione regi;
Impius ille furor, cuiquam mortalia curæ
Qui negat eſſe Deo, qualiacunque vides:
Scilicet audieram claros, celebreſque triumphos
Cæſaris, & forti parta trophæa manu.
Immanes fudit ſolo cum nomine Turcas,
Vicit & infidos non ſine laude Iibes.
Poſtmodo ſucceſſus tanti violaſſe tenacem
Fortunam, & tantum deſeruiſſe ducem.
Dum parat audaces, tumidoſque repellere Gallos,
Nulla quibus p.... deniq; nulla F....
Nominis haud parvi multos mirabar amicos
Nomine mutato Gallica ſigna ſequi.
Quid faceret mortale caput, cum verſa videret
Numina? quæ Cæſar ſenſerat apta prius.
Quid faceret fuſo nec fortis in agmine miles?
Cui ſperanda fugâ non fuit vlla ſalus.
Deditus, in partes diverſas mœſtus abivi
Corpore captivo, mens tamen vna fuit
Libera, Cæſareumque colet per ſecula nomen,
Quis teneat mentem? libera ſola manet.
Me miſerum cur non potius cum triſtis Enyo
Sæviret, poſita eſt pulvere vita mihi?

Non mea lethiferis peterentur corpora telis
 Antimachi, cujus nomen in orbe viget.
Solus qui fuſas acies collegit in vnum,
 Servat & illæſam tempus in omne fidem.
Famaque de noſtro nulli foret aucta rubore.
 Noſtra nec inſigni nomina fœda notá.
Sed piget errati demum, cruciorque dolore,
 Et mea jure quidem carmina damno reus;
Peccavi, fateor, cecini quum Cæſaris alti
 Criſtatæ volucri terga dediſſe duces,
Peccavi, fateor, quòd Cæſaris arma reliqui.
 Quod levis infidus transfuga jure feror;
At tu, quem triplicis commendat copia linguæ,
 Et lepor, à cujus profluit ore melos:
Cæſareas aures precibus, votiſque fatiga,
 Et veniam faſſo, ſi rogo iuſta, pete.
Protinus ignoſcet, quid enim clementius illo?
 Protinus invicti Cæſaris ira cadet.
Flaccus in Auguſtum pugnavit Horatius olim:
 Ille tamen veniam poſt fera bella dedit;
Ille licet magni cantatus voce Maronis
 Intulerit Cœlo, ſyderibuſque caput.
Non tamen exiguæ fidis aſpernatus honorem,
 Nec renuit blandæ murmura parva lyræ.
Sic etiam Carlus nobis, te judice, læſum
 Quem quereris, pietas quæ tua, quæve fides;
Ille nec inferior magni ſucceſſor, & hæres
 Cæſaris, Auguſtum, ſydereumque caput;
Cantari noſtro non dedignabitur heros
 Carmine, ſit tenuis noſtra Camœna licet.
Et mihi, crede, dabit, dabit argumenta canendi
 Vatibus egregijs, ingeniumque dabit;
Omnibus in terris, omni cantabitur orbe,
 Proteret & Gallos, proteret ille Libes.
Et claros Aſiæ magno de rege triumphos

Victe-

Victor aget, Carlum talia fata manent.
Denique læta feret totum vexilla per orbem,
Romanas aquilas quæque videbit humus.
Quæ licet ò graviore tubâ, vir magne, tonare
Vt puto (ni fallor) jam meditere, pares,
Noſtra tamen leviore ſono, modo vita ſuperſit
Succinet, & tenui murmure grata chelys,
Tu modo jam reddas animum, fiaſque benignus,
Meque recantato crimine mitis ames.

Ad Antimachum reſponſio.

ELEGIA XIV.

SI mihi cœlicolæ faciles ad vota dediſſent
Quæ tu a jocundo carmine muſa refert:
O, ego quàm fœlix, quàm fortunatus haberer,
Quamve forem verâ nobilitate potens?
Non ego tentarem docilem formare juventam,
Nec raucus longâ garrulitate forem;
Sed magnas agerem cauſas, fera bella tonarem,
Certarem magnis non ſine laude viris.
Quæ tibi conveniunt multo magis omnia, cum ſis
Aonias pleno pectore potus aquas:
Cum lepor, & duplicem commendet copia linguam,
Pieriumque tuo profluat ore mélos.
Hæc mihi cum falſo tribuas, oſtendis amorem,
Quæ cuperes nobis, cum pius eſſe putes.

De Laudibus Bononiæ.

ELEGIA XV.

DVlcis amor patriæ vocat ad præconia vatem.
Vrbis Felſineæ commoda, Muſa, refer.
Dum teſtudineo lentus ſpeculatur ab antro
Felicis patriæ mœnia chara ſuæ:
Garrula dum queritur gratâ philomela ſub vmbrâ,
Dum gemit amiſſâ compare turtur amans:
Felſina Romuleis olim poſſeſſa colonis,
Romuleos ritus, juraque ſervat adhuc.
Vnde etiam noſtri plebis dixere Tribunos,
Et ſua Dictator nomina priſca tenet.
Cernis vt huic vrbi fœcundus palmite collis
Imminet, & multâ relligione ſacer.
Hic vbi ſylvicolæ Michaelis viſitur ædes,
Et qui Chriſtiparæ Virginis alter habet
Celſior in ſummo ſacratum vertice fanum,
Vndique conſpicuum, & in latus omne patens.
Corniger hinc Rhenus blandis interluit vndis,
Illinc auriferâ Sapina dives aquâ.
Latus at hinc glebâ protenditur vbere campus,
Hic vbi cum Baccho certat amica Ceres.
Non ego piſcoſas naturæ dona paludes,
Nec referam ſylvas, pinguia prata, greges.
Quid memorem turres? præcelſa palatia? foſſas
Præcipites? multas, regia tecta, domos?
Quis non miretur portas, & ſtrata viarum,
Mœnia Palladiæ ſedulitatis opus?
Quid de porticibus dicam? templiſque deorum
Magnificis? quid de Relligione loquar?
Et ne longa brevi complectar carmine, nevè
Felſineæ memorem ſedulus Vrbis opes:

Hic

Hic fovet, & blando ſic temperat omnia vultu
    Iuppiter, vt nullo rideat orbe magis.
Quid, quod & hic ſedem Phœbus, Phœbique ſorores,
    Hic ſibi delegit docta Minerva locum?
Nonne hæc fama vetus nullo moritura ſub ævo,
    Prævolitat latè; Felſina docta docet.
Hinc tot Sulpicij, Cicerones, Virgilijque
    Provenere, ſoli gratia Felſinei.
Sic etiam celebres olim memorantur Athenæ
    Proh Deus! à Muſis gloria quanta venit!
Nec referam, quàm ſit populoſa Bononia, quam ſit
    Inclyta, pugnaces quàm ferat ipſa viros.
Nec procul hinc exempla petam; ſcit barbara pubes
    Cæſa ſub, o, muris, Felſina magna tuis;
Denique de cunctis Italis hæc Vrbibus vna
    Hoſpitio, Cæſar maxime, digna fuit.
Quæ tibi, quæ magno Clementi tota pateret,
    Quæque aleret tantos ſæpius vna duces.
Rebus in anguſtis rerum cum ſumma laboret,
    Sæviret toto triſtis in orbe fames.
Vnica colloquijs delecta Bononia veſtris
    Cæſar, & ò Clemens maxime (nota loquor.)
Pavit & hæc magnum Gallo cum Rege Leonem,
    Hac perſæpe frequens orbis in vrbe fuit.
Sed neque fœminei taceo præconia ſexus,
    Palladios mores plurima Virgo refert.
Rarior eſt nuſquam matronis vera venuſtas.
    Exemplum raræ quæquè pudicitiæ.
Adde tot illuſtres proceres, ſanctumque Senatum,
    Sanctior hac vllo Curia nulla loco;
Hos totidem Curios, totidem dixiſſe Catones
    Iure queas, Reges ni magis eſſe putes.
Felices igitur Cives, Reſpublica felix,
    Felices hoc te qui poſuere loco.
Pro quà nec dubites exurere Scevola dextram,

Nec dubitet vaſtos Curtius ire lacus.
Pronus & ingentes contemnat Horatius vndas,
Fluminis exciſo ponte repente ruens.
Et me præterea quiſquam perſuadeat vrbem
Linquere Felſineam, det mihi magna licet?
Non mihi ſi quiſquam Crœſi, Craſſique potentis,
Nec ſi Tantaleas polliceatur opes.
Non ego permutem cum parvo grandia Rheno
Flumina, nec magni clara fluenta Padi.
Extollant alij generoſæ Palladis vrbem,
Aut Amphionià mœnia ſtructa lyra.
Me mea detineat præclara Bononia lætum.
Non alibi malim vivere, nonve mori.
Næc ego ſylvicolæ cellà Michaelis ab æde
Ludebam; patriæ mœnia deſpiciens.

Ad R. D. Chriſtophorum Placentinum Canonicum Veronenſem, Conſolatur eum in morte Ludovici ex fratre Nepotis impuberis.

ELEGIA XVI.

PRonus in occaſum verſo radiantia curru
Flexerat, &feſſis lumina Phœbus equis:
Candida virgineæ dum calefacit ora puellæ,
Quam pius ille patris morte ſacravit Amor
Triſtior en vacuas ſubitò mihi nuntius aures
Verberat, heu, pueri mors inopina tui.
Non tenui lachrymas (fateor) vox faucibus hæſit,
Et gemitus imo pectore ſæpe dedi.
Suſpiciens Cœlum quoties crudelia dixi
Sydera, crudeles, & ſine lege Deos!
Vos ne bonis adeò raris viduaſtis amicum?
Vt capiat vitæ tædia mille ſuæ?

Soſpi-

Soſpite cui felix fuit, & jocunda nepote
Vita, miſer lachrymas, & ſine fine dabit?
Non erat indignus, mors, ille ſuperſtite tanto.
Te decuit duras abſtinuiſſe manus.
Proh dolor! egregij, & cari pia patris imago,
Longa Placentinæ fama futura domus.
Proh dolor! & miſeræ ſpes, & ſolatia matris,
Tam citò, tamque brevi marmore tecta iacent!
Ille fuit dignus Pylios qui viveret annos,
Cui traherent blandæ ſtamina longa Deæ.
Funderet vt prolem de ſe, lætoſque nepotes;
Cerneret, vt Patriæ gloria prima foret.
Hæc, & plura gemens communem verba dolorem
Quæ facerent tecum, tum mihi, queſtus eram,
Cum me continuit ratio, lachrymaſque repreſſit
Et ſubitâ miſerum provida juvit ope.
Quid gemis exiguam jacturam grandis amici?
Quid tantum illius, ſtulte, dolore doles?
Qui modo tam patiens caſum perpeſſus acerbum,
Qui tulit infractâ funera mente patris.
Mente tulit placidâ multorum funera fratrum,
Ægide quem forti docta Minerva tegit.
Non feret ille obitum, & prærepti fata puelli
Fortior? ignavos opprimit iſte dolor;
Non opis humanæ, non is rationis amicus
Indiget: haud animo nobiliore tulit,
Præclari mortem Fabius memorabile nati
Exemplum, aut ſi quis fortius iſta tulit;
Omnia jam didicit crudeli debita fato.
Serius, aut citius, quæ libuere, rapit;
Oppida cum jaceant lapſis ingentia muris,
Parvulus hem tanti cauſa doloris erit?
Et quæ longa dies alijs fomenta doloris
Ferre ſolet, multò providus ante capit;
Sed neque dediſcit ſe ſe; cognovit ad vnguem

Quid

Quid deceat fortes, dedeceatque viros.
His ego firmatus valde ratione magiſtrâ,
Quæ tibi cum ſapias, eſſe parata reor.
His tu præſidijs igitur munitus, & armis
Si modo vis, certè dedoluiſſe potes;
Adde quod, eduræ quæ ſunt ſolatia Mortis
Magna, puer patrio reddidit oſſa ſolo.
Aſpexitque pias lachrymas matriſque, tuaſque,
Et molles oculos preſſit amica manus.
Et patrui pietate pius mox vltima ſenſit
Inferias Mortis munera grata puer.
Adde quod ambroſia fruitur, cœtuque Deorum
Sedibus æthereis ille beatus ovat.
Lætus olympiacâ mortalia ridet ab arce,
Aligeros inter ludit & ille choros;
Sydera miratur, miratur & atria divùm
Cœleſteſque plagas, cœlivagumque jubar.
Aſpectu fruitur divinæ mentis, & inter
Æthereos certat de levitate deos.
Quis, niſi livoris vitio correptus iniquo,
Defleat humidulis gaudia tanta genis?

In Academiam à Fumo denominatam (gli Affumicati)
Vulcanus loquitur.

ELEGIA XVII.

Ne quæras quantæ mihi ſint, doctiſſima, vires,
Quæ tibi de fumo nomen adepta Cohors.
Sim licet inceſſu tardus, deformis & idem,
Alter & intortè pes mihi claudus eat.
Veloces tamen ipſe dolos, & dulcia Martis,
Furtaque deprendi conjugis illa meæ.

Et

Et fera, quæ magnâ jaculatur fulmina dextrâ
    Iuppiter, à manibus ſunt fabricata meis.
Et quibus aliger ille puer configit Amanteis,
    Exacuo miris tela cruenta modis.
Et quibus exurit juvenilia corda Dione,
    Succendo trifidas Mulciber ille faces.
Denique ſaxa domans, ferrum, ferus omnia mulcens
    Ignipotens apto nomine jure vocor.
Fulmen vt ignitum denſis è nubibus exit,
    Sic mihi de fumo candida flamma micat.
Iure igitur ſibi quiſque cavet ne noſtra laceſſat
    Numina. Tu tanto vindice tuta Cohors.

IOANNIS GANDVLPHI BONONIENSIS ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

In morte Anaſtaſia Vxoris.

ELEGIA I.

Exurgant alijs imicantes vertice metas
    Pyramides, Parium ſydera pulſet opus.
Grandis vt exiguo cineri ſit fama ſuperſtes,
    Si modo poſt fatum marmore fama viget.
Sat tibi ſit conjux in conjuge vivere vivo,
    Te licet abſtulerit mors inopina mihi;

Vivis

Vivis enim, noſtroque libens in pectore vives,
 Mi modo dent Pylij ſecula fata ſenis.
Non alio probitas tumulo tua, nonve pudici
 Mores, non alio marmore digna fides;
Quid quod &, ô, fœlix vives à funere noſtro,
 Carminibus vives tempus in omne meis.
Non te Penelope fuerit, non Portia, non te,
 Clarior extincto Laodamia viro;
Æquaſti veteres normâ, formàque Sabinas.
 O quantum eſt vati nubere ſiqua poteſt.
Mi fueras formoſa ſatis, tibi rara venuſtas;
 Pulchra ſat eſt, vni fœmina ſiquà placet;
Sed brevis eſt quam forma parit, gentiſque vetuſtas
 Gloria; mortale eſt quicquid vbique vides.
Sub cœlo, quà terra patet, mortalia cuncta.
 Mors etiam famæ, carminibuſque venit.
Parte viges meliore tui mortalia temnens
 Omnia, ſi virtus, & benefacta valent:
Si virtus coluiſſe Deum, paviſſe miſellos,
 Si virtus cunctis abſtinuiſſe malis:
Hæc de te placuere mihi, fidiſſima conjux;
 Devinxit menteis hæc pia vita duas.
Hinc ſummo fine fine bono (quæ gloria vera eſt)
 Hinc ſummi aſpectu læta fruere patris.
Hæc te vita decet, conjux, tibi patria Cœlum,
 Magna parens tellus, vt libet, oſſa tegat.

De obitu dilectæ Vxoris Anaſtaſiæ. Ad Dominicum Legatum.

ELEGIA II.

QValis dilectâ viduatus compare turtur
 Montibus, & ſylvis nocte, dieque gemit.

Talis

Talis ego amiſsà lecti conſorte querelis
Impleo, quà facio, devia, mœſtus iter.
Cumque mei renuant ſolatia quæque dolores,
Vna comes vati, quæ fuit ante, fides.
Non mihi grata Ceres, non læti munera Bacchi,
Nulla caret lachrimis nox mihi, nulla dies.
Quominus id mirum tibi ſit, jocunde ſodalis,
Si nunquam, aut rarò carmina noſtra leges.
Scilicet exhauſit quidquid fuit ante liquoris
Pegaſei nobis maximus ille dolor.
In tantis tamen vna malis ea quæque voluptas
Solatur miſeri triſtia corda ſenis;
Dum queror, heu, nomen reſponſant flebile ſylvæ
Conjugis: hæc animo gaudia ſola meo.
Sed licet abſtulerit fragiles mors conjugis artus,
Invitâ vivet mortua morte tamen.
Vivit, & in vivo vivet jam mortua conjux
Conjuge, mi longos dent modo fata dies.

Ad Vlyſſem Baſſianum.

ELEGIA III.

QVæ mihi jam toties de te narrauit amicus,
Præcipue vt nobis vnus amere, jubent:
Gandulpho quamvis tantum ſis nomine notus,
Id mores, virtus & tua rara facit;
Gratia par nobis abs te referatur Vlyſſe.
Diſpeream ſi non ipſe beatus ero.
Gloria ſiqua ſeni eſt, juveni quod ametur honeſto,
Eſſe mihi major gloria nulla poteſt.
In te ſe agnovit totam generoſa Tonantis
Filia, mox vno te Dea major erit.
Perge libens, nullo tantum ſe Rhenus Alumno
Iactavit noſter, Felſineique lares.

Ad eundem.

ELEGIA IV.

DIjs ego lætus ago grates, quòd nomine tantum
Qui mihi notus eras, notus es & facie.
Quàm tua reſpondet famæ præſentia, quam ſpem
Virtutum præbes indole, dive puer.
Hinc ego non dubito tibi quin vincatur Vlyſſes,
Talia das de te ſigna, nec illa latent.
Gratulor ipſe tibi, at patriæ mage gratulor. hæc te
Clarior eſt clara mox erit ecce viro.
Parcius hic de te (videat ne ſorte malignus
Blandiri) monuit verba referre pudor.
Quo tamen à vitio mea mens ita prorſus abhorret,
Vt nullum poſſit diſplicuiſſe magis.
Id nimium doleo mea me quòd cura docendi
Abſtraxit noſtris invida colloquijs:
Heſternâ cum luce meas inviſere ſedes
Dignatus, mea quæ gloria, ſiqua mea eſt,
Sed dabitur tandem lux optatiſſima noſtris
Alloquijs, quæ te cernere poſſe dabit.
Quæ dabit & veras audire, & reddere voces,
Hoc mihi jocundum nil magis eſſe poteſt.
Hæc tamen intereà quamvis incondita quæſo
Carmina Gandulphi ſint monumenta tui.
Cui nihil occurſat vigilanti, præter amicum,
Virtutem, mores, ingeniumque tuum.

Ad eundem Baſſianum. Conqueritur quòd eum non videat, quamquam diu quæſitum.

ELEGIA V.

Res nova ſopitam pridem, Baſſane, Thaliam
 Suſcitat; inculti carminis author ades.
Noſtra duos quamvis includant mœnia natu
 Diſpariles, animi ſimplicitate pares;
Quos verè probitatis amor, quos junxit honeſtas,
 Quos vno natos ſydere quippe reor;
Quod tamen eſt mirum, quod pectora mordet amici,
 Nuſquam Gandulphus te videt ille tuus.
Cum tamen vſque mihi virtus tua nempe recurſet,
 Et pudor, & mores, ingeniumque tuum;
Non via, non montes, non nos mare ſeparat ingens,
 Non vagus admiſſis dividit amnis aquis.
Feſta dies teritur dum fana perambulat omnis
 Nobilitas, lentis paſſibus vnus abes;
Non vrbis pars vlla tibi, gymnaſia nulla
 Obvia dant oculis lumina noſtra tuis;
Non fora, non celebres vici, non porticus vlla,
 Quis te luminibus ſubtrahit vſque meis?
An nova te fortaſſe frequens Academia totum
 Detinet? an ne domi tu tibi pangis opus?
Ad te luce magis ſed nec datur ire profeſtâ
 Tunc te ne videam cura diurna facit.
Invidet hæc nobis te ſcilicet vna docendi
 Cura, tamen nec te nos adijſſe velim.
Non ego ſum tanti, tali nec dignor honore
 Gandulphum, ſenio ſit gravis ille licet.
Abſit vt ingenium juvenem preſſiſſe labores
 Inſolitaque velim ſæpe gravare via.
Sed quando aſpectu te ſors rapit invida noſtro,

Col-

Colloquioque frui ſic vetat illa duos;
Suaviloquæ jungant affamina noſtra ſorores,
Atque vtrinque volet charta notata frequens.
Hæc ratio quamvis fuerit jocunda duobus,
Gratior hac certè non erit vlla mihi.
Sic animus meus alloquio, doctiſque reſumet
Robora verſiculis, quem premit vſque labor.
Hæc tibi calcar erunt ad ſacræ Palladis artes,
Sponte tuus quamvis vel cito currat equus.
Hinc te poſteritas rarum mirabitur omnis,
Hinc veniet cineri gloria magna tuo.
Adde quòd in lucem nomen prodibit vtrumque,
Majus & è rarà fiet amicitià.
Tum veterum virtus, obſcuraque nomina fient.
Scipiades dicar, Lælius alter eris.
Nec minor in nobis (ignoſcat priſca vetuſtas)
Quàm fuit Ægidæ, Pirithoique fides.
Tydeos, & magni Polinicis gloria cedet,
Et Pylades veræ pectus amicitiæ.
Tu modo ne aſpernere meas, Baſſane, Camœnas,
Et tua reſponſent candida ſcripta meis.

In obitu Reverendiſſimi Domini Gaſparis Contareni Cardinalis Bononiæ Legati.

ELEGIA VI.

Si quem lugeri laus eſt, ſi gloria, Gaſpar
Contarene, nimis gloria magna tua eſt,
Nam tua truncarunt poſtquàm fatalia parcæ
Stamina, teque tuis abſtulit atra dies:
Te poſtquàm invidit noſtro mors invida ſeclo
(Orbis enim noſtri tu decus vnus eras)

Te

Te juvenes flevere pij, te ſerior ætas,
Te puer, & laceris fœmina quæque genis;
Quid mirum? tua te pietas, tua maxima virtus
Iam notum toto fecerat orbe, pater.
Omnibus hæc eadem charum te fecerat, vnus
Notus eras cunctis, charus & vnus eras.
Si cujus Mors flenda viri, Mors nullius vnquam
Flebilior cunctis, quàm tua, Chriſticolis.
Conſilio nam ſolus eras qui magna potentis
Europæ poſſes damna levare pater;
Solus eras noſtri quem dicere Neſtora ſecli
Iure quidem poſſet quiſquis vbique ſapit.
Cujus ab ore lepos, mellitaque verba fluebant:
Gratia, quæ rapidi ſiſteret amnis aquas.
Tu Chriſti firmare fidem torpore labantem,
Concordi poteras pace ligare duces;
Iamque tuâ fretus PAVLVS virtute parabat
Sedare antiqui ſemina diſſidij,
Per te, perque tuæ fidiſſima fulmina linguæ,
Exarmare feras quam potuiſſe patet.
Quæ fera Chriſticolas agitant in prælia reges,
Tu Iovis altitoni Galle laceſſis ovem.
Dum miſeris cædem populis, noſtriſque minatur
Vrbibus exitium perfidus Ottomanus,
Occidis, heu, medio bellorum nempe tumultu
Mars ferus Europen dum quatit armiſonam.
Occidis, heu, quantâ Romani hominis, Heros
Optime, jacturâ, quòve dolore (nefas)
Quæ modo tanta fuit Chriſti Reſpublica, quantum
Perdidit, heu, ſoliti languida præſidij;
Vnum caſtra ducem te Lutherana tremebant,
Vnus eras, heu, quo terga premente darent.
Vivere dignus eras longævi Neſtoris annos,
Longius & ſiquem vivere poſſe datum.
Sed quid vana queror? nil profectura revolvo;

Digitized by Google

Lux tibi pro tenebris reddita, magne pater.
Pro terrâ frueris cœleſtibus, aurea calcas
Sydera, ſub pedibus nubila cæca vides.
Æthereos inter cives agis otia, ſermo
Eſt tibi cum trino numine, ſi quid agis.
Quid? quòd & hic vivit clarum tibi nomen in ævum,
Vivit ab extremis gloria vera rogis.
Semper & innumeris vatum celebrabere chartis,
Inclyta ſi virtus, & benefacta valent.
Nos potius, quamvis optatâ luce fruamur,
Deteriore tamen conditione ſumus.
Aſpectu quòd nempe tuo ſine fine caremus;
Hic pius, hic angit triſtia corda dolor.
Deme tui cunctis hominum, quo pectora mœrent
Iam deſiderium, cætera ferre leve eſt.
Hoc precibus, votiſque rogant pia numina cives
Felſinei, ſalvum longius eſſe velint,
Incolumemque virum ſervent, cui tradis habenas,
Quique tuam geſſit, & gerit vſque vicem.
Quem pater ille Deûm decoravit nomine ſacro,
Conveniens nomen moribus eſſe dedit.
Hoc etenim tanto ſperant rectore beatos
Se fore, nec fallent tam pia vota viros.

Ad Illuſtriſſimum, ac Reverendum Guidonem Aſcanium Sfortiam Tituli S. Floræ cum Propontifex Bononiam primum ingrederetur. Bononia loquitur.

ELEGIA VII.

SI ſpectas mea vota, pater, generoſa propago
Sfortiadum, ſerus limina noſtra ſubis.
Quandocunque tamen veniens fœlicibus intras
Auſpicijs,

Auſpicijs, alter mœnia noſtra D...
Quam tua te leta populoſa Bononia fronte
Accipiat, veris plauſibus ipſa docet.
Ecce ego dum blando teſtor mea gaudia vultu,
Ianua quæque frequens eſt, via quæque frequens.
Inſpicis? en mea quæque domus tibi grata renidet,
Accipit & noſtras quæque feneſtra nurus.
Non tua Cæſareos ſpectavit Roma triumphos
Lætius, & forti parta trophæa manu.
Nunc ego mitis ago vobis, pia numina, grates.
Clarior illuxit hac mihi nulla dies;
O ego quàm fœlix, charos mea viſcera cives
Servabis validis optime præſidijs.
Optatuſque diu noſtras moderabere habenas.
Altera Saturni regna videre dabis.

Ad eundem.

ELEGIA VIII.

Pene puer ſubijt Latialis pondera regni
Aſcanius, Veneris maxima cura puer.
Pene puer quondam magnos aggreſſus honores
Scipio, Romulei gloria magna Soli.
Additus imperio labenti Octavius orbis
Pene puer patriæ vita, ſaluſque ſuæ.
Sfortia jam noſtri ſpes, & ſolatia ſecli
Flos juvenum, muſis anchora, portus, honos;
Sfortia Felſineæ Guido moderaris habenas
Vrbis, & ipſe viris charus, & ipſe Deis.
Par ætas, par forma tibi, par gloria, mores
Sunt pariles, mox & par erit imperium.
Prima quidem ſuperis debetur gratia, Paulo

Altera, jam facimus tertia vota tibi.
O' fortunatos, ò nos ſine fine beatos!
Quos tria tutantur numina magna Deùm.

Ad Reverendum Sacræ Theologiæ Profeſſorem, & eundem Concionatorem diſertiſſimum Patrem Cornelium Muſſum Minoritanum.

ELEGIA IX.

ABdita ſublimem pandunt myſteria Paulum.
Plurima, quæ ſcriptis inſerit ille ſuis.
Dum penetrat superùm mentes, cœlumque vagatur,
Æthereos poſtquàm raptus adusque choros;
Tu quoque, Corneli, cauſâ mirandus eâdem
Suſpiceris, nil te rarius orbis habet;
Seu libet oranti Sanctos aperire Prophetas,
Seu pia de magno diſſeris illa Deo,
Quæ moveant ſcopulos, inflectant corda ferarum,
Infernoſque trahant in tua vota deos:
Scilicet afflatur ſacro tibi numine pectus,
Mellifluumque tuo manat ab ore melos.
Quæ populis arcana dedit cœleſtia Paulus,
Veridico populos præſcius ore doces.
Delegit Paulum ſibi vas, cui maxima quæque
Crederet omnipotens, te pius ille ſibi.
Quo magis agnoſcat tanto doctore malignos
Perfidus errores, qui ſibi cunque favet.
Inſanuſque deos gentilis linquat inanes,
Et colat æterni numina vera Iovis.
Perge pater jam te melior, jam cultior ingens
Felſina terreni numinis inſtar habet.

Ad eundem.

ELEGIA X.

MAjor vt extaret facundæ gloria linguæ,
Quam blandæ Charites expoliere tibi:
Fœcundam jugis fecit labor: impius in te
Succendit noſtrâ livor in vrbe faces.
Flammivomas ſine more faces, quas triſtis Erinnys
Tartareo dudum cinxerat igne furens.
Scilicet intactum toto nihil orbe relinquit,
Quod placeat ſanctis impius ille viris.
Optima quæque ferox morſu diſcerpit edaci.
Dentibus heu rabidis optima quæque petit.
Hic illic allatrat hians, & lumine torto
Ingerit inſonti crimina falſa miſer.
Sed ſine, docte pater, ſolitum ſibi ſæviat, atque
Det ſceleris pœnas improbus ille ſui.
Nec te latratus moveant, & inania verba.
Nota tua eſt probitas, ſat tua nota fides.
Perge monens populos, rumpantur vt ilia turpi
Invidiæ, merces plurima parta tibi eſt.
Non æqui, falſo non detractore potentes,
Non caruit quiſquis turpia quæque fugit.
Quo magis inſontem te læſerit improba lingua,
Hoc tua, crede mihi, gloria major erit.

Ad eundem.

ELEGIA XI.

DVm rabidos vitas morſus livoris iniqui,
Felſinei linquis pinguia culta Soli.

Inde ſilent noſtris mœrentia pulpita fanis.
Omnibus hic tectis omnia muta putes.
Romuleos colles, & Thuſci Tybridis vndas,
Docte pater, mirâ non ſine laude vides.
Hic te nobilitas omnis mirata monentem,
Obſtupuit vulgus mobile, ſylva, feræ.
Subſiſtunt amnes, iſtic tibi vellitur arbos,
Te proceres iſtic, Semideique colunt,
Hinc dolet ad tantos evectum livor honores,
Carpitur, & toto pallidus ore gemit.
Sic malus ille ſuos ictus deprendit inanes.
Sic ſua deceptus tela retuſa videt.
Sic dum ſæva nimis magnum Saturnia Iuno
Deprimit Alciden, extulit, aſtra dedit.
Nos deſiderium tanti lenimus amici
Lætitiâ laudum, quas tua fama refert.
Tu tamen, illa tuæ ſi gratia permanet vrbis
Felſineæ, noſtros ſæpe reviſe lares,
Protinus invidiâ rumpantur vt ilia Momo,
Et cumulus magnæ ſit mihi lætitiæ.

Ad eundem pro adepto Epiſcopatu.

ELEGIA XII.

QVuod tua te virtus digno ſacravit honore,
Gratulor, id mores promeruere tui.
Rumpatur jam livor edax, rumpantur iniquis
Ilia: ſunt meritis præmia digna tuis.
Scilicet optatus Populo Speculator honeſto
Es datus, & Chriſti munia gratus obis.
Terrenusque vagans celſi per pinguia Cœli
Pabula, Chriſtigenas nectare paſcis oves;

Perge

Perge pater venerande: gradu ſpectaberis iſto
    Celſior, id ſpondent aſtra benigna tibi;
Perge pater: tua te virtus evexit, & omni
    Protinus invidiâ gloria major erit.

Conqueritur quòd nihil cudant Poetæ tranquillis rebus.

ELEGIA XIII.

IN fera cum reges agitabat triſtis Enyo
    Prælia Chriſticolas; non manifeſta loquor?
Verſiculos Bavius paſſim Flaccuſque canoros
    Edidit: elinguis nulla columna fuit.
Et modo victrices aquilæ, modo gallica ſigna
    Proſpera pierijs ſunt celebrata modis.
Et pia canities Pauli cantata ſereni.
    Sic ſua pro meritis præmia quiſque tulit.
Aſt vbi nunc noſtris pax candida reddita terris,
    Quæque vel in medio muſa Helicone tacet.
Quæ nova caſtalios exhauſit cauſa liquores?
    Cur ſolitus vates non quatit ille furor?
Quæ (rogo) quæ tanta eſt ignavi cauſa ſilenti
    Vatibus, ò vates dicite: ſcire libet.
Cur nova tonſori deſunt quæ dicta renarret,
    Nec nova, convivæ quæ referatis, habet.
Cum mera libertas, cum ſint ſua præmia muſis,
    Quæ ſatis eſt vati gloria, ſiqua ſatis.
Ah potius valeat, ſi ſecula noſtra benigni
    Muta velint ſuperi, reddita longa quies.
Ocia blanda juvant, pacem cantare ſedentes,
    Cantetis ſi cui dulcia ſpondet amor.
Si mores, quos quiſque probet vel pagina jure
    Mordeat, in mores dicite multa licet.

Bella igitur poſſunt multos peperiſſe poetas?
Candida marcorem pax genuiſſe velit?
Iis ipſis, linguâque pias orbaſſe Camœnas,
Carmine queis picas vincere poſſe datum.
Scribite: ſemper adeſt ſcribendi copia vobis.
Laudibus hic dignus, dignus at ille notâ.
Quæ tanta eſt pietas perituræ parcere chartæ?
Non potis eſt aliter charta perire magis.

Ad D. Antonium Annulum.

ELEGIA XIV.

MArtini dum luce ſacrâ ſpectacula viſo
(Æmiliæ Ludi namque fuere viæ)
Pene pius caſu dextrum crus fregit amicus,
Annule, quid quæris? nunc tuus ille cubat.
Cum tanti conſtent ſpectacula, quàm piget iſſe
Spectatum! valeant gaudia ſi qua nocent;
Sed gratus refero, ſi quid ſolaminis ægro eſt,
Acceptum ſuperis, pieridumque choro.
Rebus in anguſtis quid enim præſentius ipſo
Muſarum portu vatibus eſſe poteſt?
Huc me tempeſtas quoties deprendit in alto,
Vt poſſum, celeri remige verto ratem.
Hic mihi certa ſalus, aut ſpes non vana ſalutis,
Dum maris vndiſoni turbida ſevit hyems.
Huc quoque nunc eadem vectum ſolabitur illa,
Dum dabitur votis mollior aura meis;
Tu tamen intereà divos placabis amico,
Vt redeat membris priſtinus ille vigor:
Tu potes iratum ſacris lenire tonantem,
Qui celebras ſanctâ relligione deos.

Tunc tibi Gandulphus puro de fonte ſororum
Digna dabit, quæ tu carmina ſæpe legas;
Quæque feras circum: quæ te non parva voluptas
Commendat doctis non ſine laude viris;
Mercibus ijs vrbis noſtræ ſine fine poetas
Allicis; oblectas attrahis, ijſque places.
Non aliter, quàm tetrà novis ſcatet Aphrica monſtris,
Inſita Marmarico visea, namque ſolo.
Quid melius? quidve eſſe poteſt præſtantius iſtis
Mercibus? abſumit quas neque longa dies.
Quæ tineas, ignem, fures, naufragia temnunt
Queis neque livor edax, nec nocet ira Deûm,
Quæ decus æternum pariunt autoribus ipſis.
Vectorem magnis laudibus accumulant;
Qualia doctorum ſunt, Annule, carmina ſemper
Sedulus ijs dives mercibus eſſe ſoles.

Ad eundem.

ELEGIA XV.

ANnule, nobilium nullà mercede frequentas
Atria: Quid fruſtra limina magna teris?
An facis vt notus, ſiqua eſt ea gloria, vivas?
Ipſe tamen notum me minus eſſe velim.
Quin potius pariles inter verſaris amicos?
Et frueris facili lætus amicitià;
Idem ſæpe meos elegos, epigrammata poſcis,
Protinus vt doctis illa legenda feras.
Et me ſæpe novis aliorum verſibus auges.
Te quaſi doctorum gloria laudis alit.
Quid tibi cum muſis alienis? deſine verſus
Hos illos gravido ferre per ora ſinu;

Vt

Vt verè ſapias? divina volumina verſa,
Et paſcat mentem pagina ſacra tuam;
Plurimus hinc fructus veniet tibi, plurima merces,
Hinc tibi certa ſalus, cætera vana puta.

Ad eundem.

ELEGIA XVI.

AD te dum properat curſu feſtina citato
Illiſit lapidi noſtra Thalia pedem.
Quodque pudet fari (ſed quis manifeſta negabit?)
Corruit in mediâ turpiter illa via.
Ah quanto fuerat ſatius veniſſe parentem!
Annule, quàm verſus præcipitaſſe meos!
Noſtra tamen pedibus ſubnixa fidelibus ad te
Muſa redit, lapſu ne perijſſe putes.
Cauſa fuit tanti caſus properata voluntas,
Spretaque ſedulitas, imparilíſque gradus.
Sed tu quid facias?. fallunt & plana, feroxque
Concidit in medio pulvere lapſus equus.
Ne tamen oblatrent de me, compeſce diſertos.
Qui nunquam peccet dixeris eſſe Deum.

De captivo Cupidine, ad Dominicum Legatum.

ELEGIA XVII.

AStabat pretium pugnæ crudele Cupido
Exemplum noſtrâ nuper in vrbe puer.
Quattuor hinc juvenes protecti fortibus armis

Quattuor hinc pariter prælia dira cient.
Numen vt hi damnent laqueo, ſi vincere detur.
Aureus huic laqueus, pœna parata fuit.
Quattuor aſt alijs victoribus impia fata.
Mox Deus e vinclis effugiturus erat.
Vincla fuere novis de floribus arcta, fuere
Vincula de varijs mollia ſerta roſis.
Tradiderant vinctum Dryades, quas ille ſagittis
Fixerat, & flammis torſerat ille ſuis.
Et pharetrá molleis humeros, arcuque ſonanti
Exuerat teneras impia turba manus.
Maternis dum forte puer defeſſus in vmbrá
Luſibus, heu, blando membra ſopore, jacet,
Scire cupis tanti finem certaminis? hos tu
Hectoras, aſt illos dixeris Æacidas;
Ille tamen vires, atque impia robora ridens
Certantum, perdi non potes, inquit, Amor.
Omnia perpetuum ſervent elementa tenorem.
Aliger hic omni tempore vivet Amor.
Vivet Amor, dum bruma nives, dum ſydera Cœlum,
Dumque dabunt piſces æquora, terra feras.
Scilicet á prima productus origine rerum
Vividus indigná morte peribit Amor?
Vos tamen, ò juvenes, pro me qui prælia tanta
Feciſtis, quàm vos præmia digna manent?
Veſtra ſecundabit felicia vota Dione,
Et pariles vrent pectora veſtra faces.
Vos pariter cupiet, ſiqua eſt formoſior, omneis
Ire ſub amplexus quæque puella ſuos.
Aſt alios, quid enim meritas prædicere pœnas
Attinet? an Veneris natus multus erit?
Dixit, & obliquis Nymphas aſpexit ocellis,
Multa minans vultu, murmure multa minans.
Evolat effuſis per inanes floribus auras.
I nunc, & ſuperos credula turba tene.

Ad Magnificum Dominum Gualengum Ghislerium Almæ Civitatis Bononiæ Quæſtorem Digniſſimum.

ELEGIA XVIII.

SIc vbi ſub Cœlo ſedes datur vlla ſerenis
Mentibus, atque nihil fors vbi juris habet;
Non alia in terris ſedes jacet vlla profectò;
Quis neget hoc? verum noſtra Thalia refert;
Quam quæ, clara virùm ſoboles, digniſſime Quæſtor,
Felſineâ colitur ſæpe ſub vrbe tibi;
Hic viget vbertas rerum, quas Dædala tellus
Protulit, & toto quicquid in orbe placet.
Quid volucrùm cantus? quid ſparſa coloribus arva?
Quid dicam reliquas ordine ruris opes?
Queis bifera Alcinoi cedunt pomaria, cedunt
Fœlices Arabes, Heſperidumque nemus.
Corniger hæc blandis inter loca labitur vndis
Rhenus, & auriferis omnia ditat aquis.
Vt taceam dignos domino jocunda penates
Gaudia, Palladiæ ſedulitatis opus:
Hic fovet, & blando ſic temperat omnia vultu
Iuppiter, vt nullo rideat orbe magis.
Has ego divinâ primo ſub lege parenti
Crediderim ſedes conſtituiſſe Deum,
Aera nubiferum poſtquàm diſcrevit ab aſtris,
Et ſolidam vitrea Doride cinxit humum.
Vnde nocens pulſus miſeros, heu, cara nepotes
Addixit Stygijs pignora ſupplicijs;
Huc aditus morti nullos reor eſſe profectò.
Credimus hic fatum juris habere nihil;
Hic tibi ſolliciti non tentant pectora motus:
Non furor hoſtilis, non metus vllus adeſt;
Najades hic inter faciles errare Napæas

Cerni-

Cernimus, hic ducit gratia nuda choros;
Blanda quies, pax læta viget fœlicibus oris,
Hic Bromius tantum certat, & ipſa Ceres,
Iure igitur valeant, ſine, magna negotia quæſtor,
Et cum porticibus Felſina culta ſuis;
Sæpius vt divûm blando lætere receſſu,
Quem laudare ſatis nulla Camœna poteſt.
Vt tua te vivo ſemper generoſa fruatur
Poſteritas, & te vivere quiſquis amat.

In morte Ioannis Gandulphi Nepotuli.

ELEGIA XIX.

PArve puer, cui nomen avi Natura referre
Annuerat, duplex vt mihi vita foret.
Vt vivum vivens alieno in corpore memet
Aſpicerem, fuerant quæ pia vota ſenis:
Raptus es infauſtè genitricis ab vbere caro,
Heu! prope natali raptus es ipſe tuo.
Non tibi, parve nepos, riſu cognoſcere matrem,
Blanditias matri dicere nonve datum,
Non mihi te licuit docili formare juventà
Non tenerum mores erudiiſſe probos.
Quæ ſibi quam de te ſpondebant magna parentes,
Quam ſibi ſpem de te, concipiebat avus,
Omnia ſunt Zephyris tenues diſperſa per auras.
Quam rata ſint hominum gaudia, vota, vide:
His tamen, his inquam digitis tua lumina preſſi,
Et lectus fugiens ſpiritus ore meo eſt.
Dignior ah quanto fueras, cui candida Parcæ
Stamina torquentes, tempora longa darent,
Dignior ah certè fueras, miſeranda, ſuperſtes,

Qui

Qui fleres miſeri triſtia fata ſenis;
Dijs aliter viſum, manibus dabo lilia plenis:
Purpureis ſpargam parvula buſta roſis.
His animam ſaltem donis cumulabo nepotis,
Irrita dum morti munera do lachrymas.
Dum breve marmor opus verſu breviore notatur
Quam puer, heu, lucis munere dignus erat:
Quid mihi jam de te, ni ſpes hæc vnica reſtat?
Solatur mœſti, quæ pia corda ſenis,
Vt levis hæc fragiles cum vita reliquerit artus,
Et repetet ſummi fulgida tecta Iovis
Candidus occurras cætu comitatus amico,
Excipias riſu, blanditijſque ſenem.
Prævius & comitem magni per tecta Tonantis
Aurea deducas, eſt vbi vera quies;
Eſt vbi vera ſalus animis, & vita perennis,
Veraque non vllo gaudia mixta metu.
Vita quidem brevis hæc, potius mors horrida cum ſit
Sordibus, & cunctis mors adoperta malis.
Quid querar vlterius, tenebris quod morte relictis
Perpetuâ vitæ luce fruare nepos?
Parvulus aſſiſtis ſummo ſine fine parenti,
Et nullâ fœdus denique labe places.
Iam valeat, jam falſus honos, & cura ſepulchri.
Vera placere Deo gloria, verus honor.

Ad Marcum Filium. Epiſtola lamentatoria, & conſolatoria in morte Camillæ infantulæ.

ELEGIA XX.

HAnc tibi Felſineâ genitor Gandulphus ab vrbe
Mittit, & hæc triſti verba notata manu;

Iam

Iam puto, jam leviore leges mea carmina vultu,
Sollicitáque minus cætera mente leges.
Poſt vbi te demum febris vis illa reliquit,
Quodque tibi grator, redditus ipſe tuis;
Cur autem mea nunc mœrens te, Marce, Thalia
Si quæris, viſat, maxima cura dolor;
Hoc facit ereptæ dolor, & pia cura Camillæ,
Quæ mihi de nato parvula neptis erat.
Cujus erat facies, qualem dixere Dianæ
Vndecimo poſtquàm eſt edita menſe Dea.
Aut olim qualem priſcæ dixere Camillæ,
Inter paſtorum cum foret alta manus;
Vix benè ter ſenos lunæ compleverat orbes:
Hanc rapuit celeri mors inopina manu;
Quæ mihi de parvà captabam gaudia, riſus,
Et brevis, & velox abſtulit vna dies.
Vidi ego cum vitam noſtro exhalavit in ore;
Hæc oculos parvæ preſſit, & ora manus.
Idem ego languentem geſtavi ſæpius vlnis.
Cum facerent cunæ tædia longa ſuæ.
Hinc gemitus, lamenta ſeni, lachrymaſque reliquit,
Vt taceam querulæ cætera membra domus.
Non mihi grata Ceres, non læti munera Bacchi.
Nulla quies oculis, pectore nulla quies.
Quid mirum? fuit illa mihi ſolamen, aſylum,
Et curis requies, portus, & aura meis;
Reddiderant quoties privata negotia feſſum
Hæc (memini) feſſo mox erat vna quies.
Vt mitis taceam naturæ munera, nulli
Gratior aſpectus, verbula grata magis;
Paſcebant aureis incertæ murmura linguæ,
Paſcebat rarus lumina noſtra decor.
O quoties brevibus captans mea colla lacertis,
Quà poterat, blandà voce vocavit avum;
O quoties tenſis occurrit ad oſcula palmis,

Bla-

Blanditias quoties parvula dixit avo.
O quoties cum blanda Parens ad nuda vocaret
Vbera, complexus maluit illa meos.
Quæ mihi cum ſubeunt (ſubeunt mihi ſæpe profectò)
Labitur ex oculis fervida gutta meis;
Quique morâ paulum fuerat lenitus, acerbus
Fit magis, & major quàm fuit ante, dolor.
Et niſi ſe ratio jam collegiſſet in vnum,
Non tibi Gandulphus viveret ipſe pater.
Hac duce deberi fato quæcunque videmus,
Novimus, & quicquid dædala terra parit.
Hinc fortes cecidiſſe viros, hinc funditus vrbes
Egregias æquo procubuiſſe ſolo.
Quæ mihi ſi libeat tenui percurrere verſu,
Vix vllum capiet noſtra Camœna modum;
Hæc ego cum meditor, triſti cum mente revolvo,
Solantur miſeri pectora mœſta ſenis.
Vtque feram patiens duri diſpendia caſus
Efficit, ò, ſervent quem mihi fata, nepos;
Iulius egregium nomen fœlicibus annis
Augebit fauſtâ qui mihi prole genus.
Quid quod vterque parens floret, fratreſque ſereni;
Quos precor vt ſuperi mi ſupereſſe velint;
Teque ſimul, cui poſſe datum placare Tonantem,
Qui celebras ſanctâ relligione deos.
Qui colis illuſtrem Mantoi principis aulam,
Quæ tua, quæque mea eſt gloria, ſiqua mea eſt;
Cui genus, & mores rutilo fulgere galero
Sydeream frontem promeruere viro.
Digna ſed eſt facies triplici cui mitra coronâ
Surgat, & hoc olim proſpera fata dabunt;
Vtque minus jam jam doleam, pia numina donant,
Incolumem quæ te reſtituere mihi.
O quantum valuere preces, & vota parentis!
Quàm pia ſunt votis numina mota meis!

Adde

Adde quod & mea non obijt, ſed neptis abivit
Carceris è tenebris, & pia vivit adhuc.
Vivit adhuc. Artus hominum cum vita reliquit
Pars melior noſtri, nobiliorque manet.
Vt lubet, oſſa tegat tellus: mens vna ſerenâ
Diligitur quæ jam ſede recepta viget.
Vivit, & æthereas purus revolavit in arces
Spiritus, & qualis venerat inde prius.
Scimus, & hæc docti ratione jubemur eàdem,
Credere, quæ mentes, orſaque noſtra regit.
Vivit, & ætherea mortalia ridet ab arce,
Cœlicolas inter ludit & illa choros.
Aurea ſuſpectans interdum tecta tonantis
Miratur, gaudet, perfruiturque locis;
Nec dubito (quæ ſola meæ ſunt gaudia mentis)
Quin levis occurrat parvula neptis avo.
Cœlicolum comitata choro candore nivali
Excipiat riſu, blanditijſque ſenem.
Mens levis inviſos vbi noſtra reliquerit artus,
Et repetet ſummi fulgida tecta Iovis.
Hæc mihi ſpes, hæc certa ſenem ſpes ſuſtinet ægrùm;
Hæc facit vt nepti gratuler ipſe meæ.
Quod pia, quod fœlix, experſque laboris, & inſons
Liquerit has terras, colluviemque rudem.
Hæc cum, Nate, leges, magis an gratere parenti,
An magis indoleas, addubitare potes.
Hoc patrui, id nati munus, ſic cernis eodem
Tempore quid poſſint lætitia, atque dolor.
Vt tamen & terrâ vivat, quam vivere cœlo
Novimus, exciſum marmora carmen habent.
Carminibus vivet (ſi quid non carmina poſſunt)
Carminibus vivet parvula neptis avi:
Me rapuit teneram lugentis ab vbere matris
Invida Mors: parvus contegit oſſa lapis.
Moribus, & formâ (vitam modo fata dediſſent)

(Vera loqui liceat) par mihi nulla foret.
Nunc mea ſolus avi, ſolus dolor ille pater tum
Turbat in æterna gaudia lætitia.

Ad eundem Marcum filium Epiſtola.

ELEGIA XXI.

SEriùs hanc voto mittit tibi, Marce, ſalutem,
Nate, fanaoenſi de regione pater.
Acris hyems, denſæque noto ſpirante procellæ
Carminibus noſtris impediere gradum.
Ad tua qui ſenis jam limina menſibus vrbe
Felſineà doctam Pallada mente colis.
Nec tamen auſa foret genitoris epiſtola mœſti
Ocyus inſuetum carpere triſtis iter.
Noſtra licet nullæ tardaſſent ſcripta procellæ,
Optatas toties quæ tenuere vias.
Scilicet afflictus dilectæ funere natæ
Vlla daret triſti carmina mente pater?
Nil niſi quum lachrymas daret, & ſuſpiria mœrens
Triſtia, ſingultu præpediente ſonos;
Ille ego ſum, fateor, qui, ſi dolor vrgeat vllus,
Edere ſollicitus carmina nulla queam.
Adde quod ipſa gravi jacturà dextera certo
Officio fungi non valuiſſet iners.
Nunc quoque vix auſa eſt hæc pauca reponere, quamvis
Fomentis coeat jam mea plaga tuis.
Nec mea, quod cernis luctu jam rauca perenni
Aſſueto fungi muſa nitore poteſt.
Nam quoties mihi nata ſubit (ſubit illa profectò
Sæpius) ille redit, qui fuit ante, dolor.
Et mea rurſus hiant, heu, vulnera ſæva, medelis

Atque

Atque recrudeſcunt, quæ coiere, tuis.
Quid referam mœſtæ gemitus, lachrymaſque parentis?
Solari nullis vocibus illa valet.
Illius augetur noſter, mihi crede, dolore;
Accumulat curas, heu, miſera illa meas;
Cum doleat ſine fine parens, quia triſtor in illa;
Hac ſum deterior conditione tamen:
Triſtia nam gemini torquent mea pectora morſus,
Alter & interdum cum vacet, alter adeſt.
At mea quum duplici feriuntur viſcera telo
(Sæpe fit hoc) nobis quale cor eſſe putas?
Tale quidem miſeris, quum ruptis mœnibus hoſtes
Tela ferunt contra, civibus eſſe ſolet.
Quid mirum, ſi noſtra malis mens fracta dolori
Cedit? & hunc contra languida ſtare nequit?
Quis ferat extinctæ nuper diſpendia natæ?
Quam laudare ſatis pagina nulla poteſt;
Cujus erat facies, quam nec Cytherea recuſet,
Si velit Idæum rurſus adire Parin;
Vt ſileam dignos generoſa Pallade mores;
Qualem Veſta probet, filia talis erat;
Vicerat ætatem probitas annoſa tenellam,
Egerat hæc menſes poſt duo luſtra decem.
Cur minus ingenium à nobis nunc, Marce, requiras
Hæc cauſa eſt, nec ſit qui ſolet eſſe lepor.
Ocia depoſcunt muſæ, mentemque ſerenam.
Durum ſollicito carmen ab ore venit.
Te tamen incolumi fruimur quia munere divûm,
Et noſtri generis cetera membra valent.
Sollicitam ſolare patris, pia cura, ſenectam.
Totque tui fratres: qui mea damna levant.
Quæque refert aviæ prædulcis filia nomen,
Et mihi quod conjunx provida geſtat onus;
E quibus egregio præſignis nomine Petrus;
Cum peragat mitis vix tria luſtra puer;

Invigilat docto patriâ recinente Maroni
 Voce, nec in magno jam Cicerone ſedet.
Pone ſubit grâtus teneris Antonius annis
 Dinumerans primas me referente notas.
Proximus infanti blanditur voce Michael
 Pertentans tremulis verbula blanda ſonis:
Altera ſuccreſcens è natis grata duabus
 Sarcina defunctæ nomina clara tenet.
Sic modo cui diræ truncarunt fila ſorores
 Vivit in exiguâ magna ſorore ſoror.
Hæc mihi dum ſervent magni tot pignora divi
 Salva diu, tangam ſydera celſa manu;
Vtque diu ſervent, dantur pia thura tonanti,
 Purus & aſſiduo numina corde precor.
Vivite ſic natæ, & cari per ſecula nati,
 Floreat vt noſtrâ mox mihi prole genus;
Sic vtinam clarâ videam virtute decoros,
 Et vera inſignes nobilitate probem;
Vt domus ex humili conſurgat noſtra, boniſque
 Laudetur natis lætus vterque parens.

Ad Andream Alciatum.

ELEGIA XXII.

CVm te culta vocet, vir magne, Bononia, non eſt
 Cur dubites ad nos approperare gradum.
Hic te præcipuum poſcit ſtudioſa juventus,
 Qui retegas legum condita ſenſa docens;
Hic tua Phœbæis oracula nempe putamus
 Sortibus, & Vatum carmine vera magis.
Hic tibi (nota loquor) jam præmia magna parantur;
 Nulla licet te ſint præmia digna ſatis,

Pelle

Pelle moras, celereſque libens huc dirige greſſus.
    Vt properes votis tardior adveniens.
Sic magis augebit tua mox præſentia famam,
    Quæ tamen hic vero creditur eſſe minor.
Te ſitus hic Vrbis, te porticus, atria, cives,
    Te ſibi præcipuum pulpita noſtra vocant.

Ad Leucem.

ELEGIA XXIII.

ÆMula ſyderibus tua lumina, candida Leuce;
    Lumina fulgidulis æmula ſyderibus.
Eminulæ pectus decorant, niveæque mamillæ,
    Hic vbi cum tenerà matre recumbit Amor.
Perſimiles gemmis dentes, niveiſque lapillis.
    Æmula Pæſtanis ſunt tibi labra roſis.
Quis roſeas ſine fine genas? quis eburnea laudet
    Colla ſatis? riſu nubila cæca fugas.
Dulcibus alloquijs ventos, & flumina ſiſtis,
    Inceſſuque deam prorſus, & ore refers.
Nec minor his in te prudentia rara, venuſtas
    Cernitur: hæc poſcunt ſingula vatis opus.
Omnibus his ætas, mores, & ſtirpis origo
    Congruit, & quis te non amet, atque colat?

In Craſſorum Familiam.

ELEGIA XXIV.

QVi genus egregium Craſſos, gentemque benignam
    Diligit, ille viris carus, & ille deis.

Quippe nec ulla Deûm toto reverentior orbe
Progenies, miſeros nec magis vlla fovet.
Nec minus hæc eadem caros tutatur amicos,
Non ſibi, ſed cunctis ſe putat hæc genitam.
Cumque viris, opibus, fortunâ denique lætâ
Floreat: ambitio, faſtus & omnis abeſt.
Ex quibus eximius divinæ ſtirpis Achilles
Concelebrat ſanctâ relligione deos:
Fulgebunt rutilo cui mox generoſa galero
Tempora: virtutem ſi comitatur honos.
Succedit clarum referens Agamemnona frater,
Quo gaudet tantum Felſina docta patre;
Nec minus & ſceptris, & magno dignus Homero,
Si modo dent tales ſecula noſtra viros:
Ordine poſt alij, quos enumerare liceret
Non magis ætherei, quàm vaga ſigna Poli.
Ille Machaoniâ famam ſic vendicat arte,
Ille Deûm penetrat lumine mentis opes.
Cæſaris hic nodos, & ſenſa abſcondita ſolvit.
Virtutum ſedes denique Craſſa domus.
Vivant Neſtoreos Craſſi feliciter annos,
Poſt cineres quorum fama perennis erit.

In Eremum Saxanam.

ELEGIA XXV.

SAxoſæ qui noſſe cupis cognomina rupis,
Hæc indefeſſo lumine pauca legas.
Saxanum dixere locum de nomine ſaxi,
Vertice quod celſo ſydera celſa ferit.
Hujus in exciſo naturæ legibus antro
Quæ tenuere locum numina magna cole.

Sic tibi ſtelliferi pateant pia limina cœli,
 Cum tua Neſtoreos viderit hora dies,
Non ſaxo viget iſte ſuo, ſed numine Divæ
 Seceſſus; magnæ ſtat ſacer iſte Deæ,
Quæ meruit lachrymis magni perfundere Chriſti,
 Et ſanctos humili tergere crine pedes.
Et capiti dare nectareos, divina, liquores,
 Munera, quæ magnum demeruere patrem.
Hos dea poſt domini crudelia fata receſſus
 Optavit proprios planctibus illa ſuis.
Hic toties flevit commiſſa piacula, culpas,
 Hic voluit longo corpora crine tegi;
Candida ſydereas meruit dum ſcandere ſedes,
 Et patriâ demum nobiliore frui.
Nullus ab hoſte metus, nullæ hic fraudeſve, dolive,
 Angulus hic nullus relligione vacat.
Hic quodcunque vides ſanctum, licet, eſſe putato.
 Huc, niſi luſtrato pectore, nullus eat.

Super Somnio. Ad Iulium Scarlatinum I. C. præſtantiſſimum.

ELEGIA XXVI.

FElſineà rediens lento pede nuper ab vrbe
 Contigeram patrij languidus amnis aquas:
Quum vaga gramineas jam decreſcentia ripas
 Flumina prætereunt, & nemus omne viret:
Garrula quum tecto Progne, Philomela ſub vmbra
 Thereos inceſti flent ſua fata nefas.
Alta vadum tentare gradu prohibebat aquæ vis.
 Qui regeret cymbam, navita nullus erat.
Cymba fuit, ſpecto ſiquem mea lumina cernant
 Vectorem; toto margine nullus erat.

Najades, exclamo, remis impellite puppim,
Siſtite me lati trans vada magna Padi.
Vel tu qui miſeros non aſpernaris Amanteis,
Quem colimus puro pectore, mitis Amor,
Adſis, & fragili dexter ſuccurre carinæ;
Maxima ſervati gloria vatis eris.
Vix ea dicta mihi, ceratam vincula ſolvens
Scando ratem, feſſum dura tabella latus
Excipit; hinc ſenſim blandis ſopor occupat alis
Lumina: & amplexu languida membra fovet.
Fallor? an excuſſo tortus ſonuiſſe faſelo
Funis? & in prorà viſus adeſſe puer?
Viſus adeſſe puer telis inſignis, & arcu
Aliger, in toto qui viget Orbe puer.
Vitta coercebat flavos innexa capillos
Flammea, membra Deus cetera nudus erat;
Is mea cœleſtes vultus in lumina verſus
Talia mellifluis edidit orſa ſonis.
O miſer, o nunquam ſocij deſertor Amoris:
Fide Deo, cujus numina magna colis.
Me duce jam tumidas ſuperabis gurgitis vndas.
Te mea trans fluvium fida carina vehet.
Me duce vel Scithycas potis eſcalcare pruinas,
Tutus & Hadriacas, me duce, ferre minas.
Me duce nocturnos ventos patieris, & imbres
Nudus, & in nudà molle cubabis humo.
Ten' ego deſtituam medijs in fluctibus? abſit,
Qui mea tam docto carmine bella canis.
Cujus & hamatas toties experta ſagittas
Pectora, qui ſemper tam patienter amas.
Ibis, & o blandæ cum baſia mille puellæ
Preſſa dabis, dices iſta rependit Amor.
Talibus intereà vatem dum lenit Amantem
Vocibus aligeri florida forma Dei.
Ipſe videbar humo ventis dare vela relictà

Leni-

Lenibus æquoreas puppe ſecante vias.
Najades hinc, illinc Nereides ordine longo
Cæruleâ pinum pellere quæque manu.
Donec in abſceſſu motæ ſonuere pharetræ
Numinis: hæc humeris tegmina molis erant.
Sic demum poſito vigilantem cymbula ſomno
Expoſuit fœlix vlteriore ſolo.
His ego labentes verbis tunc verſus ad vndas
Vtebar, duplices tenſus ad aſtra manus:
Numina magna loci, quæ flumina noſtra tenetis,
Et noſtri ſemper cura fidelis Amor.
Veſter ego, & veſtro ſervatus munere grates,
Quas valeo vobis, numina, gratus ago.
Præterea noſtræ ſi vis erit vlla Thaliæ,
Quicquid habet, veſtris laudibus illa dabit.
His ego. Ter ternis tremuerunt motibus vndæ
(Verã loquor) nec vis flaminis illa fuit.
Tu mea ne ride belliſſima ſomnia, Iule,
Si modo quæ refero, ſomnia vera putas.
Implorata juvant pia numina, nulla periclis
Numina cultores deſeruere ſuos.

FINIS ELEGIARVM.

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS
EPIGRAMMATVM LIBER.

Ad Beatiſſimam Virginem Mariam. I.

ALma ſalutiferam Virgo dum ſedula prolem
Fontis alit ſacræ nectare, mitis ait:
Quæ, pater alme, puer de te mihi maxima fecit,
Perpetua hæc nobis gaudia fata velint.

Ad eandem Beatiſsimam Virginem Mariam. II.

TVnc pia divini genitam de ſemine verbi
Cum peperit prolem virgo ſalutiferam,
Hæc ait, ò quantos de te mihi nate dolores
Fata parant, de te gaudia quanta feram?
Æqua ſed hæc ſors eſt, vt quam mala perdidit EVA
Sic reparet ſtirpem numinis illud, AVE.

Ad Beatiſs. Mariam in nova migratione Domus. III.

VIrgo parens, cujus fauſtas migramus in ædes,
Tu proprium numen, præſidiumque loci.
Incolumes, oro, ſerva natoſque, patremque,
Et genus, & noſtræ cætera membra domus.
Hic vbicunque dabit longum feliciter Ævum

Vive

Vivere, virgineo quem geris vſque ſinu:
Hic tibi præcipuos grati reddemus honores,
Et dabimus puris maſcula thura focis.

De Divo Thoma Apoſtolo. IV.

DYdime, cur dominum te credere velle negaſti
Vivere, de ſtygijs cum remeaſſet aquis?
Tu, niſi vidiſſes plagas incredulus illas,
Vnde fluens lavit crimina noſtra cruor?
Scilicet vt quæ prima Deo nos reddit amicos
Noſtra fides major; vividiorque foret.

De Innocentibus infantulis ab Herode peremptis. V.

ANne tot infantes letho dedit ira Tyranni
Vna mares, vnum dum timet vna marem?
Sed pia pro tenebris lucem clementia divûm,
Lucida pro terræ ſordibus aſtra dedit.
Omnibus ijs ſors æqua fuit, ſic hoſtis obeſſe
Dum ſtudet, impietas profuit illa magis.
Hinc chorus aſſiſtit ſacro puriſſimus agno.
Omnibus hinc illis vna dicata dies.

De Divo Georgio. VI.

PRæpoſitum bellis numen te, magne Georgi,
Iure quidem merito ſecula noſtra colunt.
Credula confictum Martem venerata vetuſtas.
Tu major factus, quòd Deus ille nihil.

Digitized by Google

IOANNIS GANDVLPHI BONONIENSIS EPIGRAMMATVM LIBER.

Ad Beatiſſimam Virginem Mariam. I.

ALma ſalutiferam Virgo dum ſedula prolem
Fontis alit ſacræ nectare, mitis ait:
Quæ, pater alme, puer de te mihi maxima fecit,
Perpetua hæc nobis gaudia fata velint.

Ad eandem Beatiſsimam Virginem Mariam. II.

TVnc pia divini genitam de ſemine verbi
Cum peperit prolem virgo ſalutiferam,
Hæc ait, ò quantos de te mihi nate dolores
Fata parant, de te gaudia quanta feram?
Æqua ſed hæc ſors eſt, vt quam mala perdidit EVA
Sic reparet ſtirpem numinis illud, AVE.

Ad Beatiſs. Mariam in nova migratione Domus. III.

VIrgo parens, cujus fauſtas migramus in ædes,
Tu proprium numen, præſidiumque loci.
Incolumes, oro, ſerva natoſque, patremque,
Et genus, & noſtræ cætera membra domus.
Hic vbicunque dabit longum feliciter Ævum

Vive.

Vivere, virgineo quem geris vſque ſinu:
Hic tibi præcipuos grati reddemus honores,
Et dabimus puris maſcula thura focis.

De Divo Thoma Apoſtolo. IV.

Dydime, cur dominum te credere velle negaſti
Vivere, de ſtygijs cum remeaſſet aquis?
Tu, niſi vidiſſes plagas incredulus illas,
Vnde fluens lavit crimina noſtra cruor?
Scilicet vt quæ prima Deo nos reddit amicos
Noſtra fides major; vividiorque foret.

De Innocentibus infantulis ab Herode peremptis. V.

ANne tot infantes letho dedit ira Tyranni
Vna mares, vnum dum timet vna marem?
Sed pia pro tenebris lucem clementia divûm,
Lucida pro terræ ſordibus aſtra dedit.
Omnibus ijs ſors æqua fuit, ſic hoſtis obeſſe
Dum ſtudet, impietas profuit illa magis.
Hinc chorus aſſiſtit ſacro puriſſimus agno.
Omnibus hinc illis vna dicata dies.

De Divo Georgio. VI.

PRæpoſitum bellis numen te, magne Georgi,
Iure quidem merito ſecula noſtra colunt.
Credula confictum Martem venerata vetuſtas.
Tu maior factus, quòd Deus ille nihil.

De

De Diva Lucia. VII.

LVcia jure tibi nomen dixere parentes,
Scilicet à gratâ nomina luce geris.
Sive quod & ſervas jucundæ munera lucis,
Sive quod & captos lumine luce foves.

Ad Chriſtum Optimum Maximum. VIII.

QVis te, Chriſte, pium? quis tam crudelis acerbam
Compulit in mortem? dic, age? ſolus Amor.

De Divo Marco. IX.

CVr tibi ſit facies animoſi, Marce, Leonis
Quærimus. hoc fidei robur ineſſe notat.

Ad Paulum III. Pontificem Maximum. X.

PAVLE refers priſcum non ſolo nomine PAVLVM.
Moribus, & vitâ Paulus es ille pius.
Et tibi cum ſummo regnum commune tonante.
Ille regit Cœli numina, terra tua eſt.
Vt lubet ille regat ſuperos, Cœloque fruatur.
Suave tuum populis, maxime Paule, jugum eſt.

De Via Virtutis. XI.

ARdua Virtutis multo ſudore parandæ
Eſt via, ſed ſummo vertice grata quies.
Pervius ad vitium vario oblectamine limes
Nos trahit in præceps: vltima meta rotat.
Hinc raros patet eſſe bonos; nam blanda voluptas
Allicit: aſt hominem territat inde labor.

Ad Carolum Quintum Imperatorem. XII.

GLoria ſi veræ virtutis ad æthera quemquam
Extulit, & factis Gloria parta ſuis:
Emoriar, ſi non Cœli tibi maxima, Cæſar,
Porta patet: terris vive ſed ipſe diu.

Ad eundem diſcumbentem. XIII.

IVppiter æthereos moderatur maximus orbeis,
Imperium pelagi, maxime Cæſar, habes.
Et genus humanum, terrenaque regna gubernas:
Optimus in terris tu, Deus ille polo.
Dum populos, vrbeſque regas, mitiſſime Cæſar,
Imperet æthereis Iuppiter ipſe polis.

In eundem. XIV.

DVm parat vlciſci læſos iratus Amores,
Ipſe ſuam in Gallum Iuppiter armat avem.

Scili-

Scilicet ille ferox, cygnoque ſalacior ipſo
Auſus erat Lædæ ſollicitare fidem,
Irruit illa putans fugiturum protinus hoſtem:
Vincitur incaſſum viribus vſa ſuis.
Nam ſua pugnaci faveant ſi numina Gallo,
Non timet irati tela triſulca Iovis.
Ah quantò ſatius fuit abſtinuiſſe duello!
Parcere ſubjectis gloria major erat.

In obitu Delphini. XV.

Regia progenies Gallorum ductor inerti
Cum caderet fato, talia dicta dedit.
Mors mihi non gravis hæc, non hoc mihi flebile lethum.
Quòd juvenis linquam Gallica Regna, patrem:
Quod mihi jam ceptos invidit parca triumphos,
Hei mihi de tantis hoſtibus, illa queror:
Illa queror, quòd vita mihi ponenda cubili eſt;
Ah decet in plumis occubuiſſe ducem?

In Antimachum. XVI.

Gratulor Antimacho, ſed noſtri incommoda ſecli
Defleo, nam ſolus nunc ſapit Antimachus.
Doctius Antimacho nihil eſt, is vnus amicus
Muſarum, nihil eſt doctius Antimacho.
Rarius Antimacho nihil eſt, ille omnia novit
Abdita, nunc nihil eſt rarius Antimacho.
Sed ſi quod nolim; mox caſus ademerit illum
Heu quantum damni ſecula noſtra ferent?
Iam nullus ſapiet, jam noverit abdita nullus,

Et

Et ſuper, heu, Muſis nullus amicus erit.
Sed quid parva queror? totus terrebitur orbis,
Et velut ablato lumine cæcus erit.

Ad eundem pro Antonio Annulo. XVII.

INceſſu quamvis tardo gradiatur, & idem
Claudicet informis Mulciber, Antimache,
Velocis tamen ille dolos, & dulcia Martis,
Furtaque deprendit conjugis ille ſuæ.
Et fera, quæ magnâ jaculatur fulmina dextra
Iuppiter; informis Mulciber ille facit;
Et quibus aliger ille puer configit Amanteis
Exacuit miris tela cruenta modis.
Et quibus exurit juvenilia corda Dione,
Succendit trifidas Mulciber ille faces.
Denique ſaxa domat, ferrum, ferus omnia mulcet
Vulcanus, nihili quem tua muſa facit.
Quæ tantum potuit verbis culpare protervis,
Tamque potens Numen, quanta Thalia tua eſt?

Ad eundem pro eodem. XVIII.

SAlſa placent, inſulſa jacent, guſtumque recuſant,
Si modo ſit ſalſis debitus ille ſapor.
At ſale quæ nimio fuerint condita remordent,
Damnantur, guſtu grata nec eſſe queunt.
Talia ſunt tua ſi qua paras ingratus amicis,
Si tibi ponantur talia, nulla probes,
Quis vocet illa jocos, gratoque aſperſa lepore,
Quæ rabidi morſum carmina dentis habent?

Annu-

Annulus hic tuus iſta legens, licet aureus, horret,
Ferreus, & ferro durior eſſe velit.
Aſperior cum ſis morſu, cunctiſque repugnes,
Quæ tua miraris carmina, ſolus habe.

Ad eundem Antimachum. XIX.

CAndiduli non eſt vatis mordere diſertos;
Vnus & hic mendax, quid facit Antimachus?
Candidulus vates fidos non odit amicos,
Vnus & hic fallax, quid facit Antimachus?
Ii ſunt Antimachi mores, hæc vnica virtus,
Sæviat in cunctos vt malus ille bonos.
Omnibus hoc præſtat, ſolus quod ſcire videtur
Ipſe ſibi; reliqui vulgus inerme ſumus.

Ad eundem. XX.

NOn vis culpari, non vis & amice probari.
Neſcio blandiri, quid rogo vis faciam?
Non odiſſe queo, nec debeo ſemper amatum;
Si ſincerus amo, non tibi gratus amor.
Et noſtrum reputas, & falſum dicis Amorem.
Vis verum fatear? ſuſpicioſus homo es.

Ad eundem pro Antonio Annulo. XXI.

ANnulus Heroum magnæ deſerviat aulæ,
Sit conviva frequens, limina magna terat;

Dum

Dum miſer Antimachus tumidæ deſerviat iræ,
Exagitet triſtem bilis & atra virum.
Oderit Antimachus fidos infidus amicos,
Hos homini mores, hoc dedit ingenium.
Quas rebus natura parens ab origine leges
Perpetuo ſervat ſæva tenore dedit.
Plumbeus Antimacho ſis Annule, nil moror altis
Aureus ipſe viris, & pretioſus eris.

Ad eundem pro eodem. XXII.

ARtificum ſua ſi referunt figmenta figuram,
Autorem & redolent carmina miſſa ſuum.
O qualis, quantuſque potes (mihi crede) videri!
Si modo ſis quantum te tua muſa facit;
Illa ſophos quam grande ſonat, quam terſa renidet,
Quam ſibi reſpondet, quam ſibi tota placet.
Scilicet Antimacho nihil eſt virtute, decore,
Ingenio, par eſt nobilitate nihil.
Quid mirum ſi nulla probas? ſi doctus adunco
Suſpendis naſo quicquid vbique vides?
Scriptores Graij cedant, cedantque Latini,
Omnia cum præ te jam nihil eſſe putes.

Ad eundem pro eodem. XXIII.

ANnulus articulos molleis exornat, amatque
Aureus, & gemmâ gratior ille ſua eſt;
Hinc laus, hinc digitis accedit grata venuſtas;
Durior at fuerit ſi manus, ille riget.
Mollia depoſcunt molles, ſic aſpera duris
Convenjunt, cui vis congrua danda neges?

Ad Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Guidonem Aſcanium Sfortiam Tituli S. Floræ Cardinalem, Bononiæ Legatum. XXIV.

MAgna ſibi multi pepererunt nomina vates,
Dum celebrant claros nomina magna viros.
Hinc viret æternum divini muſa Maronis,
Dum canit Idæi prælia magna ducis.
Hinc ſibi de magno nomen ſacravit Achille
Florida Mœonij Calliopea ſenis.
Lesbia, Flacce, levi recinis dum carmina plectro,
Gloria Mecenas eſt tua factus eques.
Mi quoque cœlivagis caput inſeruiſſe videbor
Syderibus, nullo denique vate minor:
Sfortia ſi nobis quæ dictant carmina Muſæ
Fronte pius læta qualiacunque leges.

Ad eundem. XXV.

SFortia te quondam populoſa Bononia, Guido,
Hoſpite tam celebri nobilitata ſuo eſt.
Dulcia dum celebras doctarum ſacra ſororum,
Phœbæique colis numina blanda chori.
Te duce nunc eadem fortunatiſſima floret.
Tale ſub Auguſto Cæſare Roma fuit.

Ad eundem. XXVI.

SFortia dum juvenes certant immanibus haſtis
Pectora belligeri nobile martis opus
Dona quidem fortes animos tua fortibus augent,

Sed

Sed magis aſpectus, Sfortia magne, tuus.
Hinc totidem Æacidas, totidem Telamone creatos,
Hinc totidem Phrygios Hectoras eſſe putes.
Quid mirum? tanto vires à numine ſumunt,
Tu, tua dum ſpectas munera, tanta facis.
Sfortia, dulce quidem pretium victoribus aurum,
Sed placuiſſe tibi gloria major erit.

Ad eundem. XXVII.

QVòd tibi venatus, quod ſunt certamina cordi,
Sfortia, quòd ſtudium te juvenile juvat:
Hoc fit vt eximiæ ſis gloria rara juventæ,
Terrenum cum ſis numen & ipſe ſenum.
Dulce quidem ſenibus juvenem ſpectare verendum.
Te juvenes vnum quem venerentur habent.

Illuſtriſs. Heroidi Victoria Piſcaria. XXVIII.

EXtinctum defles Daualum, Victoria conjux
Optima, luce doles, optima nocte doles.
In te cum gemitus, curaſque reponeret omnes
Diceris hoſpitium fida fuiſſe viro.
At caſſum vità memori cum mente recondas,
Mortuus in viva conjuge vivit amans.
Talis Mauſolo fuit Artemiſia, talis
Non fuit at Bruto Portia magna ſuo.
Hinc par huic, illa major, generoſa, putaris,
Quòd ſic viva doles, Portia nulla dolet.

Eidem Victoria Piſcaria Heroidi Illuſtriſs. XXIX.

VEra voluptates calcat Victoria, ſiquæ
Denigrant animos, corporibuſque nocent.
Id facis, vnde tibi ſacrum per ſecula nomen,
Conueniens formæ, moribus atque tuis.
Nec minor inde tibi jam pridem gloria parta eſt,
Quam peperit mulier ſiqua pudica fuit.
Perge libens, te digna manet poſt funera merces,
Pervia ſi puris mentibus aſtra patent.
Quam ſibi nunc tellus totam miratur, & ambit,
O Superi, Cœli vertice qualis erit?

Laus Epigrammatis Magni Alciati. XXX.

MAternum facinus divino carmine vates
Qui cecinit, Solymas viderat ille puto.
Obſidione truci premeret cum Romula pubes,
Sæviret tota triſtis in vrbe fames.
Dat ſua maternæ pietati munera, vires,
Et rabiem miſeræ ſuggerit ille fami.
Hinc timor, & pietas, illinc audacia certat,
Plus tamen ambobus perficit vna fames.

Epitaphium Antonij Ruinæ. XXXI.

OPtima qui ſemper morſu depaſcit edaci,
Eſſe ſibi ſemper qui ſua pœna ſolet:
Impius, heu, diros in me crudelius enſes
Exacuit Livor, quàm meminiſſe velim,

Sci-

Scilicet invidit juſtas fœlicibus annis
Quas labor, & patris cura pararat opes.

Epitaphium Cornelij Marſilij veri Patricij, cum is in Ethruria fuiſſet interfectus. XXXII.

DVm pavidum tueor numeroſo ſolus ab hoſte
Impavidus comitem, ſaucius ipſe cado.
Nec me nobilitas, nec me præſtantia juvit
Roboris, aut animi, quæ mihi tanta fuit.
Dignus eram tamen, heu, cujus miſereſceret hoſtis,
Quem tegerent superùm numina dignus eram.
Sed quam forte putas, mea jam mihi reddita merces:
Fœlices campos, elyſiumque colo.
Hæc mihi præterea lethi ſolatia reſtant,
Quod mea ſunt patrio reddita membra ſolo.
Præſtitit id patris pietas, fratrumque piorum,
Qui mea ne jaceant oſſa .... ferent.

Epitaphium AEnea Blanchini. XXXIII.

DVm premis hoſtiles fœlici Marte catervas,
Proh dolor! hoſtili fortiter enſe cadis.
Quid querar, Ænea? vitæ dum contrahis annos;
Nominis æterni gloria parta tibi eſt.

De Pomario amœniſſimo. XXXIV.

HEſperidum taceant vates, & Adonidis hortos,
Illa nec Alcinoi gloria major erit.
Quam tua quiſquis habes lætis pomaria ramis.
Conſimiles mores hoc tibi monſtrat opus.

De temporis varietate. XXXV.

NVnc viget in terris æſtus, nunc frigore torpent
Omnia, nunc languens temperat illa tepor.
Non eadem ſemper ſunt tempora, robur, & ætas
Non eadem nobis ſemper, ineſtque decor.

Ad Philippum Guaſtavillanum Montanæ Provinciæ Bononienſis Præſidem. XXXVI.

TE nova Cœlicolis æquat prætura, Philippe,
Dum geris hic noſtri ſceptra verenda ſoli.
Quod viget hic per te *Divæ* vetus ara repoſta,
Nec piget immunes cædis habere manus;
Quod per te tam culta nitet prætoria ſedes,
Nec finis implicitis jura perire dolis.
Quòd nullos ad te funeſta pecunia cernit
In leges aditus, præmia nulla vias;
Denique quòd ſummis hominum jocundus, & imis
Nomen ab æternâ poſteritate paras.
O quando tali gaudebunt præſide colles?
Et vaga montanæ flumina mille plagæ?

Ad Reverendum D. Durantem Brixienſem Epiſcopum. XXXVII.

OMne quod in vitium, virtutis robore, duras
Pectus, & eſt omni mens tibi labe carens:
Inde tibi nomen, ſic te pater ille deorum
Rectorem tanti juſſit adeſſe gregis.
Sic genus, & longo præclaram Stemmate gentem

Illu-

Illuſtras verâ nobilitate tuam.
Macte pia virtute pater, mox iſta galero
Fulgebit rutilo fons generoſa tibi.

Ad Antonium Annulum pro muneribus miſſis. XXXVIII.

SI pro carminibus mittis mihi munera, quis te
Clarior? aut quis me ditior alter erit?
Semper enim de te quod ſcribam longior ætas
Suggeret, & dextræ gloria magna tuæ.
Quis te munificus magis eſt? quis largior? & quis
Celſior eſt animo? cui mage pura fides?
Sed mihi ne nimiæ (quis mores temperet hujus)
Invidiam pariant, Annule, divitiæ:
Aut tibi vis animi, & tam largæ gloria dextræ,
Deſine muneribus nos onerare tuis.

Ad eundem. XXXIX.

NVnc quibus, Antoni, tua munera laudibus ornem
Neſcio, depoſcunt illa Maronis opus;
Ne tamen ingrati nomen ſubeamus amici,
Quæ nimis exoptas carmina, pauca damus.

De ſpectaculo porcula toſta XL.

DVlce fuit quondam populo ſpectare Quirini.
Exhibuit vivas, quas ſua Roma feras,
Dulce tibi ſpectare ſuem, mea Felſina, toſtam,

Digitized by Google

Quam lanient avidæ, ſordida turba, manus?
Nempe feræ ſpectare feram non nulla voluptas
Certamen, ſi quos talia forte juvant;
Sed quid habent pulchri cæſæ ſpectacula porcæ?
Cui lanient gratis viſcera mille manus?
Paſcere vis oculos ſpectando Felſina? vivum
Exhibeas, qui ſic non lanietur aper.

De Statua Paſquini, ipſe loquitur. XLI.

QVid me rureſtri factum de numine Martem
Miraris ſumptà caſſide, Roma, tuum?
Non me Vertumnum Priſci dixere Quirites,
Quòd facilis vertar quamlibet in faciem?
Sic opus eſt facto, ſic me tutabor ab illis,
Offendit ſi quos libera lingua viros.
Nam dare me populo ſolum reſponſa petenti
Veridicum triſti tempore fata ſinunt.

Ad Pyramum Populum pro muneribus miſsis. XLII.

NOn vt muneribus certemus, Pyrame, tecum,
Mittimus hæc hilares qualiacunque tibi;
Cum reddas majora datis, cum plurima dones,
Infœcunda mihi rura bubulcus aret:
Sed tibi ne prorſus parteis videamur in omnes
Ingrati, ſteriles neve imitemur agros.
Sume igitur læto, non dicam munera, vultu,
Parvula Gandulphi ſed monumenta tui.
Hoc vnum qui te, nam cum majora repoſcat,
Effluat è memori ne tibi mente rogat.
Non alio quàm te jam Mœcenate probari
Si videar, dici poſſe poeta, velim.

Epi-

Epitaphium Ludovici Gozadini I. C. Patritij Bonon. XLIII.

FLet toga, flent leges, flet mœſto curia vultu,
Flet laceris mœrens Felſina docta genis,
Invida te poſtquam nobis mors abſtulit, à quo
Debuit ah duras abſtinuiſſe manus.
Non tibi, ſed patriæ moreris, LVDOVICE, ſed orbi;
Oſſa jacent, vivit gloria, fama viget.

Ad Antonium Annulum. XLIV.

ANnule, ſæpe novis doctos quia mercibus exples,
Quæ de Caſtalio munera fonte vehis.
Quod pretium tibi jam docti? quæ præmia ſolvent.
Digna viri? Laus eſt maxima nulla ſatis?

In Statuam Amantis ob amorem ſe transfodientis. XLV.

HVmanæ non artis opus (mihi credite) fervens
Pectore tranfoſſo profluit ecce cruor.
Poſſe mori prohibet dirum qui tradidit enſem,
Expleat vt noſtris ſe magis ille malis.

Ad Achillem Bocchium Equitem Auratum, & eundem Poetam. Reſponſum pro muneribus. XLVI.

TAnto accepta magis mihi ſunt tua munera, Bocchi,
Quo majora tui pignora ſunt animi.

Nec

Nec jocunda minus mihi ſunt tua carmina, vatum
Immediata licet luſerit illa furor.

Ad Lambertinum qui à Cæſare Stans occiſus fuit. XLVII.

EXcipis adverſo quod pectore vulnus ab hoſte,
Lambertine, tui non dolor iſte tuis.
Gloria ſed major, tantos cum ſtragis acervos
Videris hoſtiles, quam prius ipſe cadas.
Dura quidem mors hæc; ſed quæ, ſi vera fatemur,
Sola decet fortes mors generoſa viros.

Speculum. XLVIII.

SI te noſſe cupis, fuero tibi maximus index;
Aſpice me, vultus en tibi reddo tuos.

De præſenti Sæculo. XLIX.

NOſtra quid à priſcâ, ſi quæras differat, ætas?
Fulſerat hæc auro, ferrea noſtra riget.

Narciſſus. L.

IPſe mei falſâ deceptus imagine vultus
Ad fontem vano captus amore peri;

Gaud:

Ganymedes. LI.

IGnifero Phrygijs puer alite raptus in oris
Miſceo ſupremo pocula grata Iovi,

Amor. LII.

MItis, ovans, jocunda, hilaris, pia, candida res ſum.
Impia, crudelis, triſtis, acerba, ferox.

Sol. LIII.

EFficio longi partes ego quattuor anni,
Cunctaque terrarum me ſine cæca forent.

Luna. LIV.

AStra, nemuſque mihi ſunt, & Plutonia regna,
Terra, poluſque meas ſentit, & vnda vices.

Mars. LV.

DIſcordes rapio furibunda in prælia dextras.
Saxa, faces, vulnus, mors, cruor, arma, placent.

Mer-

Digitized by Google

Mercurius. LVI.

NVntio res placidas Superis citus ales ab oris.
Prælia quæ populis nunciet, Iris erit.

Iuppiter. LVII.

REx hominum, mundique ſator, genitorque deorum
Fulmina cœleſti vibro triſulca manu.

Venus. LVIII.

FRango truces animos, celeri domo cuncta ſagittà,
Nec me de ſuperis plus dea juris habet.

Saturnus. LIX.

PRimus apud Latium vites ego falce putavi.
A Iove ſydereis ſedibus actus eram.

Iuno. LX.

SVm regina deûm ſummi Matrona Tonantis,
Iunctaque cum magno ſunt mihi ſceptra Iove.

Plu-

Pluto. LXI.

PRima Iovi: Neptune tibi pars altera Mundi,
Tertia ſupremo pars mihi ſorte data eſt.

Vulcanus. LXII.

CLaudus ab æthereo quondam dejectus olympo
Fabrico nubifero tela triſulca Iovi.

Bacchus. LXIII.

PRimus Erythræâ duxi regione triumphos,
Vina Mycenæo primus in orbe dedi.

Ceres. LXIV.

TErris prima dedi fruges, & munus arandi;
Glans cibus in duris quercubus ante fuit.

Ianus. LXV.

DExtra manus baculum geſtat: manus altera clavem.
Quicquid poſt video; quicquid & ante manet.

Digitized by Google

Pallas. LXVI.

ET pace, & ſævis pariter verſamur in armis.
Impoſitum eſt nobis illud, & illud opus.

Fortuna. LXVII.

CElſa ruunt per me: per me miſer ibit in altum,
Muneraque inſtabili do, repetoque manu.

Spes. LXVIII.

SOla ego jocundà miſerorum pectora voce
Solor, & humanum mulceo ſola genus.

EPIGRAMMATVM FINIS.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNIS GANDVLPHI BONONIENSIS VARIORVM CARMINVM LIBELLVS.

Ad Beatiſſimam Mariam Alpinam.

SAPPHICA. I.

VIrgo Supremi genitrix parentis,
Quam chori laudant ſuperùm canendo,
Quæ vel extremi ſuper orbis ignes
Clara refulges.
Omnibus cum te venerentur Aris
Vrbium cœtus: recolatque grato
Thure paganus: ſaturique fœlix
Incola ruris.
Rupibus celſis tamen, & nivoſis
Montibus vultu facili, & decoro
Mitis arrides, rigidaſque viſis
Proſpera ſylvas.
Vt tuæ læti ſimul hic fruamur
Lucis aſpectu nimium benigno
Cujus hoc noſtrum genus omne nutu
Nempe fovetur.
Cujus & blandis precibus Tonantis
Frangitur magnus furor aſperati
Omnium turbâ ſcelerum, & malignæ
Crimine prolis.
Interim claudis tribuis citatos
Lenis inceſſus: oculiſque captos
Lucis opacæ refoves, loquelæ
Munere mutos.

Hinc

Hinc & excelſæ tua nempe rupes
Nomina, & colles reſonant ſupini;
Hinc tua & vulgo venerantur atri
Numina luci.

Hinc minas ponit tibi dirus Anguis,
Cedit irati rabies Leonis,
Tygris applaudit, genus & furentum
Omne ferarum.

O pium ſalve miſeris levamen,
O decus Cœli, ſuperumque fulgor;
O Parens veræ pietatis, atque
Gloria ſalve.

O ſalus noſtri generis redemptrix,
Terror infernæ Stygis, o profundi
Stella depellens tenebras, micantis
Ianua regni.

Impios longè pia mater hoſtes
Pelle, dum terras colimus jacentes,
Pelle diſcrimen, rabidoſque morbos;
Pelle timores.

Pande ſecuros, facileſque calles
Ad tui nutùs, monituſque nati:
Mentibus puris mereamur altas
Scandere ſedes. Amen.

Ad Beatiſſimam Mariam de Barachano.

ADONIA. II.

Virgo ſupremi
Gloria regni,
Lucida vaſti
Stella profundi,

Cujus ab alto
Semper amicum
Noſtra tuetur
Mœnia numen;

Cer-

Cernis vt omnes
Vndique magnà
Nempe malorum
Mole premamur:
Vtque tremendum
Neſcio quidve
Triſtius alti
Dira minentur
Sydera Cœli.
Ergo Dearum
Maxima, ſummi
Mater alumni,
Qui regit, atque
Maximus altos
Temperat orbes.
Quem tremit atri
Rector Averni,
Te tua ſupplex
Felſina miti
Corde precatur.
O pia juſtis
Pande benignas
Vocibus aures.
Si tibi ſacras
Ponimus aras
Mœnibus iſtis,
Has vbi ſedes
Eligis altà
Mole perennes:
Vnde benigno
Lumine noſtram, &
Fronte ſerenà
Deſpicis vrbem;
Si tua noſtræ
Tempora cingunt,
Diva, corollæ:
Si tibi ſacris
Suave renident
Limina ſertis.
Tunc tibi cum ſol-
lemnia vota
Reddimus, & cum
Feſta colentes
Annua, ſacros
Pangimus hymnos,
Maxima nati
Numina verbis
Lenibus ora,
Deleat atræ
Sordida mentis
Crimina noſtræ:
Leniat æqvas
Protinus iras,
Temperet altæ
Fulmina dextræ,
Pellat atrocis
Horrida Martis
Bella, famemque
Pellat acerbam.
Pellat & omnes
Vndique morbos.
Augeat vſque
Tradita dudum
Munera nobis.
Virgo nocentum
Vita, ſaluſque,
Quos piget actæ
Per ſcelus, & per
Crimina vitæ:
Dirige noſtros

O Dea

O Dea recto
Tramite greſſus;
Inſtrue ſacras
Ire per omnes
Vſque perenni
Limite leges.
Diſcute mentis
Nubila, cæcas
Pelle tenebras,
Vt tua noſcat
Grata ſereni
Felſina ſemper
Munera nati,
Et mea per te
Felſina cunctis
Tuta periclis
Læta ſereno
Rideat vſque
Felſina vultu.
Maxima ſummo
Gloria patri,
Maxima ſemper
Gloria nato, &
Spiritui per
Sæcula Sancto. Amen.

Pueri exhortatio ad pueros, vt viſitent puerum Ieſum in præſepio jacentem.

IAMBICA DIMETRA LIBERIORA. III.

EIa ſodales pueri
Viſamus vnà puerum,
Quem nuntiarunt populis
Fidi magiſtri pecoris.
Natum, datumque gentibus
Veræ ſalutis gaudium,
Quem Stella Magis prævia
Monſtravit illa Regibus.
Viſamus antrum villulæ
Auguſtioris principum
Potentiorum regijs
Gemmis, & auro fulgidis.
Condigna demus munera
Vernantis agri floſculos
Et mixta rubris candida
Vallis amœnæ lilia:

Gra-

Grates agamus Virgini,
Quæ peperiſſe filium
Auræ conceptum meruit
Sacro patris e verbulo.
Iam procidentes cernui,
Et voce læti tinnulà,
Et corde verè fervido
Plaudamus omnes palmulis.
Hymnum canamus parvulo,
Dum ſacra ſugit vbera
Vili involutus ſtragulo,
Cui cuncta parent ſydera.
Quid majus vnquam vidimus?
Ille ſupernus artifex
Mundum pugillo continens
Præſepe duro clauditur.
Iumenta flexis genibus
Colunt, adorant, confovent
Ore tepenti dominum
Brumæ vigente frigore.

De Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

HYMNVS IV.

LÆtantur ima vallium,
Colles reſultant plauſibus,
Et celſa rident Montium
Cœleſtis ortu filij.
Stellæ refulgent purius,
Campeſtris ora jubilat;
Aer reſultat muſicis
Cœlicolarum cantibus.

Salve puer ſanctiſſime,
Salve jubar cœleſtium,
Decus parentis virginis,
Et vera patris gloria.
Tu deſtinatus gentibus
Veridicorum canticis
Vatum benignus advenis,
Serves vt omnes protinus:
Da, deprecamur cernui,
Te ſcire puris mentibus,
Honore digno proſequi,
Et noſſe patrem maximum.
Nos illa quondam merſerat
Primi parentis crapula:
Tu nos benignus erigis
Ad vera lucis gaudia.
Tuque alma virgo virginum
Flos, & corona fulgida,
Quod Eua Mater inſolens
Ægris ademit poſteris.
Tu reddis ecce largius
Benigna, clemens, integra
Tam ſacroſancto germine,
Cui famulantur Angeli.
Tù clauſa Cœli limina
Evæ parentis crimine,
Vt vera dones præmia
Verſo repandis cardine.
Summo Patri ſit gloria,
Nato, ſacroque pneumati,
Tibique Mater optima
Per ſeculorum ſecula. Amen.

Ad

Ad Reverendum D. Antonium Annulum;

DIMETRA. V.

AD te genus quod carminis
Dedi novum liberius
Lapſis diebus, Annule,
Licentioſus arguor.
Fortaſſe jure ac merito,
Quod juris id mi vendicem,
Nullus quod ante fecerit
Cui faveant Pierides.
Aut legis inſcius nimis
Fortaſſe dicar metricæ,
Iambum ſuis qui ſedibus
Parum pudenter pepuli.
Vtrum velim minus, rogas,
Si vera cogar dicere,
Dici licentioſus,
Peccare quàm gnarus parum.

Ad Annibalem Aldrovandum Equitem Bononienſem Rem riſu dignam refert.

PHALÆCIA. VI.

QVimilis nimium vigebat æſtus,
Cum Bacchum ſimul, & Deos aquarum
Nuper diſcubiturus apparavi
Permiſcere tuis, amice, menſis,
Quo lautas epulas, & eleganteis
Cornu copia contuliſſe viſa eſt,

Convivis minus ille quo noceret,
Neu nobis fera bellà concitaret,
Vt quondam merus aſſolet Lyæus,
Sed convivia lætiora nobis
Et triſti ſine lite prorogaret.
Aſt vndans Achelous, vt furentem
Vidit Nyctileum rubente vultu
Se ſe præcipitem dedit profundum
Amens in puteum, caputque merſit
Turbatis nimio timore lymphis.
Alcidem ratus eſt, opinor, illum
Victorem veteris, graviſque pugnæ,
Quà teli alterius decore frontem
Orbatam doluit deus venuſtam,
Et poſt nempe die videndus illo
Non comparuit vſpiam miſellus:
Tum quotquot fuerant ſimul cachinnos
Convivæ, fateor, dedere largos.
Quin & Najades, & pudore multo
Et fugere metu dei furentis.
Huic & blanda genu renudat aura
Rejectis tunicis, comàque fusà
Nudatur rutilans eburna cervix.
Illi prominulæ tremunt papillæ
Curſu tam propero, decorque creſcit?
Sic vni licuit manere Baccho,
Et noſtris nimis imperare menſis.
Sic & prandia lætiora nobis,
Et jocunda hilari fuere riſu;
Tales ſæpe dapes parate divi.

FINIS.

IOAN.

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS

In aureorum Catonis Carminum
de Morali Philoſophià
Libros IV.

LEONINA PARAPHRASIS

Graviſſimis firmata Sententijs,

AD MARCVM FILIVM.

Digitized by Google

LABIA IVSTI
CONSIDERANT PLACITA:
COR IMPIORVM
PERVERSA.

AMICVS SOCRATES,
AMICVS PLATO
SED MAGIS AMICA
VERITAS.

Digitized by Google

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS
In aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophia, Librum I.
LEONINA PARAPHRASIS.

Si Deus.

I. PRincipio, cultum Domini tu dilige multum.
Nam ſine cultura non eſt mens crimine pura,
Lingua paterna ſonat, quod ei ſapientia donat,
Exaudi fili, mentiſque repone cubili.

Primum ſcientiæ ſtudium eſt quærere Deum; Deinde honeſtatem vitæ.

In cunctis præpone Deum, & illum honora; Deum time, & mandata ejus ſerva, & in cunctis ſecurus eris.

Plus Vigila.

II. Ne teneas vanè de ſomno ſurgere mane,
Longa quies ſomni vitio fit fomes in omni.

Piger propter frigus noluit arare, mendicabit in æſtate, & non dabitur.

Sicut Campus: qui non exercetur, noxias herbas profert, & producit, ita corpus, quod non exercetur: noxia vitia generat.

Virtutem Primam.

III. Si cupias pacem, linguam compeſce loquacem,

Et ratione ſile, dominum ſi queris adire.

Paucis verbis noteſcit ſapiens, & multis verbis innoteſcit ſtultus; multum loqui ad ſtultitiam ſpectat, tacere vero ad prudentiam.

Dulce verbum multiplicat amicos, & mitigat inimicos, quia mala lingua eſt primordium omni malo, bona autem primordium omni bono.

Sperne repugnando.

IV. Hac varia vita diſcors tibi vivere vita,
Nulli ſe jungit: ſuaquem diſcordia pungit.

Qui ſibi nequam eſt: cui bonus eſſe poteſt? fruſtra aliud habet, qui ſe ipſum non habet:

Conſtantia eſt virtus per quam in bonis operibus perſeueramus vſque ad ſinem.

Si vitam inſpicias.

V. Tu qui cuncta notes, qui luſtras regna bootes
Non reperire potes, quos ſine labe notes.

Nullus eſt tam bonus, in quo non invenias defectum,

Non eſt quicquam difficilius, quam invenire quemlibet, omni ex parte beatum.

Mundum eſſe oportet quicunque alios corripit.

Quæ nocitura.

VI Omne quod eſt carum, fore ſi tibi credis amarum,
Proijce nec retine, ne ſit tibi cauſa ruinæ.

Melius eſt habere parum cum timore Domini, quam Theſaurum magnum cum iniquitate.

Conſtans, & lenis.

VII. Lenis & aſper erit Sapiens, res vt ſua quærit,
Et mores vertet, ſi ſic ſine crimine certet.

Iuſtitia abſque miſericordia eſt ſeveritas.

Nil

Nil temere.

VIII. Nil temere credas, vxoris ſepe querelas;
Namque Deus novit, vt quos tu diligis odit.

Malæ fœminæ in conſilio vincunt viros: Conſilium fœminæ aut nimis charum, aut nimis vile.

Non eſt caput ſupra caput ſerpentis, nec malitia ſupra malitiam mulieris:

Quum moneas.

IX. Si moneas charum, quamvis tibi fiat amarum,
Non tamen abſiſtes, in verba monendo miniſtres.

Qui alium ab errore revocat, ſe ipſum revocare videtur.

Vos patres nolite provocare filios ad iracundiam, ſed educatis illos in correptionem.

Vbi non eſt gubernator, pupillus corruit; Salus autem, vbi conſilia multa.

Contra verboſos.

X. Verboſi lites, filj cariſſime vites,
Multi ſermonem retinent, ſed non rationem.

Non reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam: nec ei ſimilis efficiaris.

Malus ſermo ſuſcitat furorem, mollis quoque ſermo frangit iram.

Grave vitium eſt ſtultitia, ſed non minus grave vitium eſt verboſitas.

Lætetur homo in ſcientia oris ſui; nam ſermo opportunus eſt.

Contentio eſt mater ſcandali: origo, & principium omnium litium.

Dilige ſic alios.

XI. Proſpice ſic alijs: vt ſis tibi carus, & ipſis,
Sicque bonus charis eſto, ne damna ſequaris.

Sic

Sic alienum negotium cures, quod non obliuiſcaris tuum.
Amico tuo ſic prodeſto, ne tibi noceas.
Velle bene alijs, & odiſſe ſe ipſum propriè est eſſe miſerum.
Dilectio eſt debitum naturale: quo vnus homo est alteri obligatus: à quo nullus abſoluitur.

Rumores fuge.

XII. Effuge rumores, ſimul & nouitatis honores,
Nam ſtolidus mœret, quod non tacuiſſe laboret.

Si humilis & quietus non fueris, repromiſſionis gratiam non habebis.
Tacens plerunque deſpectabilis est: ſed ſi eum lingua nobilitat, ſemper manebit cum honore.
In omni tempore erit abundantia: vbi autem verba ſunt plurima, ibi egeſtas.
Quod tacitum eſſe vis: nemini dicas, quia ab altero non poteris petere ſilentium.

Rem tibi promiſſam.

XIII. Rem tibi promiſſam, nulli promiſeris ipſam,
Perdit namque fidem: ſic multa loquutio pridem.

Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas.
Vſque reus eſt: qui veritatem occultat, & mendacium dicit.
Sine conſideratione non promittas, & quod non potes dare: ne polliccaris.

Quum te aliquis.

XIV. Si quis te laudat: nunquam te gloria fallat,
Plus laudatori, quam tu tibi credere noli.

Si humanam laudem quærimus, diuinam ammittimus.
Non quæras gloriam, & non dolebis cum glorioſus nō fueris.
Ne laudaris hominem in vita ſua, lauda poſt mortem, magnifica poſt conſummationem.

Quum

Quum bonus homo laudatur in faciem, triſtatur in mentem.
Homo perfectus non gaudet de honore poſitivo, & laude, ſed in ſe ipſo habet bonum, de quo gloriatur.

Officium alterius.

XV. Alterius factum ſit verbis amplius actum,
Sed referas nulli: quum tu benefeceris ulli.

Qui dat beneficium taceat, & qui accepit narret; Memoria beneficiorum laudabilis eſt, malorum vero tenax.

Quum dubia.

XVI. Quum tibi ſecura ſit ſpes de morte futura,
Alterius mortem noli tibi ponere ſortem.

Nil certius morte: & nil incertius hora mortis, licet ultima dies ut omnes obſervetur.
De morte inimici non eſt gaudēdum, quia omnes moriemur.
Totum tempus vitæ noſtræ nil aliud eſt, quam velox curſus ad mortem.

Exiguum munus.

XVII. Si quis forte velit, quod amicus pauper habebit,
Sumat corde bono, ſit & hic laus addita dono.

Magis laudandus eſt pauper dans munuſculum: quam dives exhibens magna.
Verus amicus non conſiderat donum, ſed dantis affectum.

Infantem nudum.

XVIII. Quum ſit inops natus quiſquis, nuduſque creatus,
Pauperiem grandem vincat patientia tandem.

Pauperies, ſi læta venit, ditiſſima res eſt.
Diſcite quod parvo liceat producere vitam, & quantum natura petat.

Digitized by Google

Ne timeas illam.

XIX. Dico tibi verè: ſi vis de morte timere,
Perdere tunc quæris: vitæ quod habere videris.

Hac conditione mundum intravimus, vt exacto modici temporis intervallo, protinus exiremus, iuxta regulam iuris. Si quis aſſidua ſollicitudine vitam tranſegerit, ſuſtinendo deficit, vivendo moritur.

Si tibi par meritis.

XX. Si manet oblitus, meritum non ſervat amicus,
Non tibi culpandus Deus eſt, ſed ſemper amandus.

De bonis, & malis contingentibus nobis: grates debemus referre Deo.

Ne tibi quod deſit.

XXI. Parcius vteris quæſitis, quando frueris,
Et rem ſervabis quam ſemper deeſſe putabis.

Feſtinata ſubſtantia minuetur, quæ vero paulatim colligitur, augumentabitur.

Quod præſtare.

XXII. Bis non ſpondebis: quod tu præſtare valebis,
Non ſimilis vento, ſed vir bonus eſſe memento.

Gratiſſima ſunt munera, quæ fuerũt nobis ſine morà collata. Ne dicas amico vade, & reverte cras, quũ ſtatim poſſis dare.

Qui ſimulat.

XXIII. Laudat adùlator, ſed non eſt verus amator,
Tu quoque commendes: ſic illi digna rependes.

Non poteſt eſſe verus amicus, qui amicus nõ fuerit veritatis. Simulator ore decipit amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam, omnis lex vno ſermone impletur. Melius eſt negare, quam longos dare terminos.

Nihil

Nihil in amicitia fictum, nihil ſimulatum eſſe debet.

Noli homines.

XXIV. Nō bene credūtur nimium qui blanda loquuntur,
Decipiuntur aves per cantus ſæpe ſuaves.

Non ſatis eſt tutum, mellitis credere verbis.
Ex hoc melle ſolet, peſtis amara ſequi,
Adulatio eſt fallacis vocis ſeductio.
Non acerba, ſed blanda verba timebis.
Bonus amicus piè ſolet ſine dolo mulcere amicos, patienter iraſci: & humiliter indignari.

Quum tibi ſunt nati.

XXV. Inſtrue pupillos pauper, ſi diligis illos,
Ne paupertati valeant ſuccumbere nati,

Scientia eſt mihi bonus amicus: & apud hominē interceſſor.
Omnis ſapiens dives, omnis ſtultus ſervus & miniſter.
Neſcit ſapientia relinquere poſſeſſorem ſuum.
Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit lætitias animæ tuæ.
Gloria patris eſt filius ſapiens, filius vero ſtultus eſt mæſtitia matris ſuæ.

Quod vile.

XXVI. Carum vile puta: fore vilia cara voluta,
Sic nec avarus eris, cupidus nec nate videris.

Diſcretio eſt maxima virtus, quà ſi quis caret, cæteris virtutibus neſcit uti: imo, quod peius eſt, de virtute facit vitiū.
Liberalitas eſt virtus animæ beneficiorum erogatrix.

Quæ culpare ſoles.

XXVII. Si culpare velis: culpabilis eſſe cavebis,
Nanque mihi ſordet, ſua quem doctrina remordet.

Tollere feſtucam ſi vis de fatris ocello.

Quæ

Quæ tua conturbat lumina, tolle trabem.
Prædicatio eſt operibus obſervanda, vt quod verbis docet, conſtet exemplis.
Me male caſtigat: proprio qui crimine ſordet.

Quod iuſtum.

XXVIII. Exige rem iuſtam, ſi non cupis inde repulſam.
Non eſt donandum, quicquid ſtat iure negandum.
Juſta petamus, vt amicorum cauſam honeſtam faciamus.
Nil valet vtilitas, quam non comitatur honeſtas.
Petitio modum habere debet, vt remuneratio ſequi poſſit.
Quod honeſtate accipi non poteſt, nullatenus eſt accipiendũ.

Ignotum tibi.

XXIX. Extra privatis nunquam vos ante feratis,
Nam privata ſedent, extranea caſibus hærent.
Noli relinquere amicum antiquum, quoniam novus non eſt ſibi ſimilis.

Quum dubia.

XXX. Quum ſubito fine ſpes ſit bene certa ruinę,
Pro lucro magno mortales vivere dico.
Retinere vitam eſt optimum, & præcipuum mortalibus.
Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat.
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

Vincere quum poſſis.

XXXI. Fili cede pari, quamvis poſſet ſuperari,
Hoc ideò dico, quia ſic eris aptus amico.
Maximum in amicitia conſtat ſuperiorem inferioribus eſſe parem.
Neſcit amor habere Dominum, quia vera amicitia aut pares recipit, aut efficit.

Ne dubites.

XXXII. Debes parva dare, cupias ſi magna rogare,
Audio ſic dici, dando retinentur amici.
Alterna donatio corroborat amicantes.

Litem inferre.

XXXIII. Semper devites cum charis ponere lites,
Lis odium gignit, charos concordia ſtringit.
Impatiens ſuſcitat rixas, patiens vero mitigat eas.
Amicitia eſt idẽ velle, & idẽ nolle in rebus licitis, & honeſtis.

Servorum culpa.

XXXIV. Si tibi ſervorum fert iram culpa tuorum,
Pectore ſub mœſto fac hic moderabilis eſto.
Qui ex humana ira non ſe temperat, neceſſe eſt ſemper beſtialiter vivere.

Quem ſuperare.

XXXV. Sæpe pati præſtat, ſi non ſuperabilis erat,
Nulla valet tantum virtus, patientia quantum.
Doctrina viri per patientiam cognoſcitur: Nobile vincendi genus eſt patientia.

Conſerva potius.

XXXVI. Plus obſervabis quæcunque labore parabis,
Quum labor ipſe perit, paupertas lædere quærit.
Vtendum eſt divitijs, ſed non abutendum.
Sic vtere mundi rebus, vt ſcias te eſſe vltimũm judicandũ.

Dapſilis interdum.

XXXVII. Interdum notis tribuas, & ſuffice votis,
Et tibi ſemper eris charus quum dives haberis.
Quid mihi fortuna eſt, ſi non conceditur vti?
Largitas facit homines charos: avaritia vero facit odioſos.

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS

In aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophia, Librum II.

LEONINA PARAPHRASIS.

Telluris.

I. TErræ culturas ſi quas cognoſcere curas,
Nobilis ecce Maro deſcribit carmine claro.

Herbarum.

II. Si mage naturas herbarum ſcire laboras,
A Macro diſces, qui dicit carmine vires.

Si Romana.

III. Quòd ſi ſudores belli cupis: atque labores,
Lucanus dicit, quæ Cæſar prælia vicit.

Si quod amare.

IV. Si Veneris mores perquiris, & eius amores.
Ovidium noris, qui carmen dicit amoris.

Vt ſapiens.

V. Vt ſapiens fias, audi quæ diſcere temptas,
Virtus a Vitio voluceri diſiungitur ævo.

Si potes ignotis.

VI. Proſis ignotis: & non ſolummodo notis,
Rex eſt mendicus, cui non eſt vllus amicus.

Nemo

Nemo ſibi ſatis eſt, eget omnis amicus amico.
Pretioſiſſimum genus divitiarum eſt acquiſitio amicorum.
Reges, Principes, & divites, amicis indigent: quibus impendant beneficia, & à quibus honorem accipiant.
Melior eſt theſaurus amici in corde, quàm auri congregatio in arca.

Mitte arcana.

VII. Ad ſecreta poli, curas extendere noli,
Sed de terrena mortalis quære Camœna.

Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur a gloriâ; Irā Dei, quę iniuſta eſſe nō poteſt, debemus venerari, & nō diſcutere.
Diſcutere omnia iudicia, nil aliud eſt, quam contra Deum ſuperbire.
Divina iudicia non ſunt diſcutienda, ſed formidoloſo ſilentio veneranda.

Linque metum.

VIII. Mortis linque metus, vt poſſis vivere lætus,
Stultitiam ſervas, ſi vitæ gaudia perdas.

Crudelius eſt ſemper timere, quam mori: non eſt juſtus, qui mortem, egeſtatem, & exilium timet.

Iratus de re.

VIIII. In nullis rerum videt iracundia verum;
In dubia cauſa certare nequit ſine cauſa.

Vbi fuerit ira, nec iuſta iudicia ſtant, nec doctrina proficit, nec crimina compeſcuntur.

Fac ſumptum.

X. Fac cito quod debes, quoniam diſponere debes,
Sed cum debebis pro tempore remque videbis.

In tenui menſa ſatis eſt immenſa voluntas.

Quod nimium.

XI. Tu modicum quęras; nimium, fugiendo, repellas:
Eſt ſecura magis in parvo flumine navis.
Quanto aſcenſus altior: tanto caſus gravior.
Gratiores ſunt qui pauca poſſident, quam qui multa.

Quod pudeat.

XII. Prudens celabis, quod amico turpe putabis,
Ne culpent plures, quod ſolus pandere cures.
Qui nocet ſocio, opere, vel verbo: Deum offendit.
Melior eſt qui celat inſipientiam, quã qui oſtẽdit ſapientiã.
Evolat emiſſum ſemel irrevocabile verbum.

Nolo putes.

XIII. Abſit opinari pravos peccata lucrari,
Primum ſe celant peccata, deinde revelant.
Nec malis pœna, nec bonis premia deſunt.

Corporis exigui.

XIV. Ne reputes viles in parvo corpore vires,
Ingenio, pleno ſors viribus extat egeno.
Major in exiguo regnabat corpore virtus.
Non omnis infelix eſt, qui ſpecie turpiſſimus eſt.

Quem ſcieris.

XV. Spernere tu noli, quin cedas ſæpe minori,
Contra victorem, tenuit jam victus honorem.

Adverſus notum.

XVI. De verbis parvis lis creſcit ſępe ſub annis,
Multorum exemplo tu ſępe videbis aperto.
In nulla cauſa contendas, quia contentio parit lites.
Principia ſunt minima quantitate, ſed magna poteſtate.

Quid Deus.

XVII. Quid Deus ipſe velit, cur, ſors, tua, diſcere quęrit,
Te ſine diſponit , quicquid tibi redere novit.

Quia facta Dei iniusta eſſe non poſſunt , debemus venerari, & non diſcutere.

Invidiam nimio.

XVIII. Invidię cultum fugias, chariſſime, multum ,
Mentem livor edit , ſi non in tempore cedit.

Timende ſunt magis amicorum invidie , quam inimicorum inſidia.

Invidia eſt triſtitia de apparente proſperitate bonorum.

Eſto forti.

XIX. Si fortis factus ſub iniqua eſt lege coactus ,
Non gaudet multum, quem lex mala ſervat inultum.

Fortitudo eſt virtus animi per quam , nec adverſitatibus deprimimur , nec proſperitatibus extollimur.

Litis pręterita.

XX. Quiſque ſit oblitus litis , jam factus amicus,
Nam memor irarum malus eſt homo pręteritarum.

Reminiſci que quis fide egerit , malorum eſt.

Si vis pacem , litis præteritæ ne feceris mentionem.

Non te collaudes.

XXI. Laudem, vel culpam nemo ſibi prębeat vnquam,
Convenit hoc vanis , quos gloria vexat inanis.

Qui laudem non appetit , contumeliam non ſentit.

Vtere quęſitis.

XXII. Parcè diſpenſa , quum poſcit creſcere menſa ,
Durat namque parum nimis vſus divitiarum.

Non minor eſt virtus quam, quęrere, parta tueri.

Digitized by Google

Caſus ineſt illis, hic erit artis opus.
Eſt modus in rebus, menſuraque ſemper habenda.

Inſipiens eſto.

XXIII. Te ſtolidum finge quando res admonet inde,
Eſſe loco ſtultum, fit ſępius vtile multum.
Melior eſt ad tempus ſtultitia, quam ad tempus Sapientia.
Prudens fallere non vult; falli autem non poteſt.

Luxuriam.

XXIV. Tu nec avarus eris, neque comptus luxurieris,
Ille infamis erit, quiſquis ſic vivere quærit.
Avaritia eſt immoderatus amor habendi, vel ruinoſa appetitio aliarum rerum.
Luxuria eſt ablatio potentiæ, diminutio carnis, infectio animæ.

Noli tu quædam.

XXV. Rarò credatur cuiquam, ſi multa loquatur,
Vnde relatori ſemper tu credere noli.
Qui miſerè credit, creditur eſſe miſer.
Qui facile credit, facile decipitur.

Quà potu.

XXVI. Potum commiſſum non debet id eſſe remiſſum,
Nam ſi potaſti plus æquo, turpe paraſti.
Ebrietas aufert memoriam: diſſipat ſenſum; confundit intellectum: accendit libidinem, corrumpit ſanguinem: membra debilitat, ac vitam diminuit.

Conſilium arcanum.

XXVII. Res occultandæ, tacitis ſunt participandæ,
Si non vis lædi: medico committe fideli.
Non enim omnibus conſilium habeas: ſed vnum de mille, tibi elige conſiliarium.

Nihil

Digitized by Google

Nihil dulcius, quam aliquem habere amicum, cum quo omnia loqui audeas: vt tecum.

Succeſſus.

XXVIII. Pravos ſucceſſus noli tu ferre moleſtus,
Sæpe mali florent, vt poſt ſua gaudia plorent.

Compone mores tuos & attolle animum tuum, adverſus fortunã, Qui fortunã tenet ſub pedibus, tenet vultũ invictũ.
Extrema gaudia luctus occupat.

Proſpice, qui veniunt.

XXIX. Eſt gravis eventus, veniendo proſpiciendus,
Nam fero jacturam levius, quam cerno futuram.

Qui futura non prævidet, incautus in omnibus incedit, nam præviſa minus lædere tela ſolent.
Tria ſunt neceſſaria cuilibet ſapienti; memoria præteritorum; ſcientia præſentium; & prævidentia futurorum.

Rebus in adverſis.

XXX. Nemo malis cedat, ne deſperatio lædat,
Omnia ſpes vincat, ne nos in morte relinquat.

In die malorum non ſis immemor bonorum.
Adverſitas eſt cauſa meliora ſperandi.
☞ *Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur, hora.*

Rem tibi, quam noſcis.

XXXI. Fronte capillata bona res non ſit reprobanda,
Vt maneant illi, quos dimiſere, capilli.

Ponere dilationem in rebus ſemper nocuit.
Melius eſt rẽ inventã cuſtodire, quam non inventã quærere.

Quod ſequitur, ſpecta.

XXXII. Rem præcedentem videas, & cerne ſequentem,
Bifrontem Ianum fieri, ne credito vanum.

Non enim quod ante oculos ſitum eſt, ſufficit intueri, ſed

rerum exitus prudentia metiri: Exitus acta probat. Nihil tibi ſubitum ſit, ſed totum ante proſpicias.

Fortius ut valeas.

XXXIII. Parcior eſto cibis: ſic tu tibi ſanior ibis,
Pauca ſalus, multas res appetit ipſa voluptas.

Plures interficit gula, quam gladius.

Non ad luxuriam, vel ſatietatem: ſed tantum ut corpus ſuſtentemus, epulis eſt utendum.

Iudicium populi.

XXXIV. Nolo, nate, reges proprio ſub judice leges,
Fors nulli plebis, multos ſpernendo, placebis.

Qui plurimorum ſententiam contemnunt, malevolentiam multorum incurrunt.

Vnuſquiſque homo parum de veritate invenit, homines autem magnam partem inveniunt, In quibus omnes conveniunt: & maximè quam probaſti, tene.

Sit tibi præcipuè.

XXXV. Prima ſit in cunctis ſemper tibi cura ſalutis,
Tempora ne flebis, ſi corpore forte dolebis.

Melior eſt ſanitas robore, & decore.

Somnia ne cures.

XXXVI. Somnia ne cures, nam fallunt ſomnia plures,
Nam quod homo ſperat, ſomnus plerumq; revelat.

Multos fecerunt errare ſomnia, & multas curas ingeſſerunt, & exciderunt ſperantes in eis.

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS

In aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophia, Librum III.

LEONINA PARAPHRASIS.

Hoc quicunque.

I. QVisquis adeſſe velis, & carmine diſcere quæris,
Cùm monitis tutis referam præcepta ſalutis.

Patienter, humiliter, & fideliter fieri debet, quod à majore præcipitur.

Inſtrue.

II. Inſtrue jam mentem noſtræ rationis egentem,
Mens ſine doctrina, ſtat vitæ certa ruina.

Qui nihil ſcit, & nihil diſcit: est quaſi mortuus: & ſepeliendus cum corpore, & anima.

Non ceſses diſcere, & vſque ad canos invenias ſapientiam.

Diſcere non ceſses: dum tempus tranſit, & ætas.
Dura; tranſit enim non iteranda dies.

Commoda.

III. Carmen ſi ſpernis, tibi maxima commoda perdis,
Non carmen miſſum, ſed te neglexeris ipſum.

Adoleſcentis officium est, majores natu revereri; & majorum conſilus vti.

Obſcura ſemper anima, quam ſcientia non illuſtrat.

Majorum ſequere veſtigia, & ab eorum auctoritate non diſcrepes.

Quum

Quum recte vivas.

Gandulphi Paphraſis ad hæc carmina deſideratur.

IV.

Si bonus es, noli timere quod mali dicant.
Mali enim bene loqui neſciunt.
Claudendæ ſunt aures malis vocibus malignorum.
Non eſt noſtræ poteſtatis ora loquentium compeſcere.
Cum bene ages, mala verba finge non audire.

Productus teſtis.

V. Non debet dici per te tunc crimen amici,
Quum fueris teſtis, non ſit pudor hic tibi peſtis.
Melius eſt hominem mori, quam ſcienter dejerare, qui enim ſcienter dejerat, cum deliberatione negat Deum.

Sermones blandos.

VI. Sunt bene vitandi ſermones vndique blandi,
Sub ſpecie veri nam fallunt ſæpe ſeveri.
Fallit nos ſæpe ſpes virtutis ſub vmbra.
Impia ſub dulci melle venena latent.

Segnitem fugito.

VII. Segnities linquat te, ne te ignavia tingat,
Cum mens languefcit, caro tunc defecta ſeneſcit.
In omni motione corporis, exercitium temperatum eſt vtile.

Interpone tuis.

VIII. Gaudia ſepe tuis debes adiungere curis,
Sic ſufferre datur, ſi quod fortuna minatur.
Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Alterius dictum.

IX. Nullum dicentem reprehendas, aut facientem,
Ne

Ne ſimiles riſus alijs ſis reddere viſus.

Proculus voluit reprehendere Labeonem: deriſus eſt à Celſo.

Quod tibi ſors.

X. Mortis ſorte datum, tabulis ſit quæſo notatum,
Et ſerves actum; ne cantet fama retractum.

Omnis ſapiens dives, omnis ſtultus ſervus, & miniſter.

Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quia ignoro hæredem, quem habiturus ſum, vtrum ſit futurus ſapiens, vel ſtultus, & dominetur laboribus meis, quibus inſudavi, & ſollicitus fui.

Quum tibi divitię.

XI. In ſenio dives, dum parvo tempore vives,
Multis multa dabis, nec amicis plura negabis.

Eâ liberalitate vtamur, quæ proſit amico, & nemini noceat.

Vtile conſilium.

XII. Sit neglecta tui nunquam ſententia ſervi,
Nec contemnatur tibi, ſi quis juſta loquatur.

Nemo debet ſenſum alterius deſpicere, ſi ei proficiat.

Sana conſilia capere poſſumus, vt quæ nos potuerint lædere, agnoſcamus.

Rebus, & in cenſu.

XIII. Pauperior ſenſus non ſit turbatio cenſus,
Sed ſis contentus rebus, quas dat tibi tempus.

Rectus homo in proſperis, idem manet in adverſis.

Fortunæ inſtabilitas prudentis cauſam non infeſtat.

Vxorem fuge.

XIV. Non tribuat votis vxorem copia dotis,
Nec conſtringaris ſub ea ſi forte gravaris.

Mulier ſapiens delectat virum ſuum, & annos vitæ ſuæ implebit in pace.

Mul-

Multorum diſce.

XV. Ex alijs diſcas quod agas bene, quodve remittas,
Nunc ad vivendum vita eſt exemplar habendum.

Qui verba ſapientum audire, & intelligere negligit, vitam ſuam recte gubernare non novit.

Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.

Quod potes, id tenta.

XVI. Tractet opus ſecum juvenis ſed viribus æquum,
Defeciſſe vides nimio ſub pondere vires.

Cedere principijs malo, quam cedere fini.

Amplectens multum ſtringere pauca ſolet.

Stultum eſt incipere non conſiderata licentia proficiendi.

Qui cum fiducia incipiunt aliquid, ad conſummationem rei cito feſtinant.

Quod noſti factum.

XVII. Si mihi tu credis, nunquam mala facta ſilebis,
Nam quiſquis celat, ſe conſentire revelat.

Agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur.

Iudicis auxilium.

XVIII. Iudice ſis tutus, ſub iniqua lege ſtatutus,
Nam ſub jure regi placet omni tempore legi.

Qui cuſtodit legem, ſapiens eſt; homines ſapientes avertunt furorem, peſtilentes vero diſſipant Civitates.

Quod merito.

XIX. Omne tuum ſemper ſuffer meritum patienter,
Quumque reus confeſſes, non te ſine crimine monſtres.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum eſt.
Quæ venit indigne, pœna dolenda venit.

Qui ſe judicant in præſenti, non judicabuntur in futuro.

Multa

Multa legas.

XX. Fac vt multa legas, & non relegendo recedas,
Sic vt vera petas, varios dimitte poetas.
Stude in multis, vt ex illis veritatem cernere poſſis.
Studium, & labor quotidianus reddit bonum magiſtrum.
Libros peritorũ frequenter legere juvat ad omnem veritatẽ.

Inter convivas.

XXI. Dum convivaris,caveas ne multa loquaris,
Diſcat ab vrbanis vir garrulitatis inanis.
Nunquam pœnituit me tacuiſſe, ſed ſemper fuiſſe loquutum.
Fecundi calices, quem non ſecere diſertum?

Conjugis iratę.

XXII. Nil tibi curetur, ſi conjugis ira minetur,
Fœmina dum plorat, hominem ſuperare laborat,
Neve puellarum lachrymis moveare,caveto.
Vt plorent, oculos erudiere ſuos.

Vtere queſitis.

XXIII. Si tibi fors vſus rerum eſt,ne ſiat abuſus,
Qui ſua demergunt, hi poſt extranea querunt.
Vtere bonis tuis moderate, & noli dilapidare eã, & maxime, quãdo ſuperabundant expenſę, ſine introitu cõpetenti.
Mediocritas in rebus eſt habitudo maxima.
Vtendum eſt divitijs, & non abutendum.

Fac tibi proponas.

XXIV. Nate timere mori, pœnæ formidine, noli
Mors mala non ſolvit, ſi te mala vita reſolvit.
Qui bene vivit, bene moritur.
Non debemus timere mortem, per quam de mortalitate,ad immortalitatem deveniemus.
Stultum eſt timere,quod non poſſis evitare.

Melior

Melior eſt dies mortis, quam dies nativitatis.

Vxoris linguam.

XXV. Vxoris linguam, ſi prodeſt, cur ego ſtringam?
Namque pati neſcit ſtultus, ſed nec reticeſcit.
Divitiæ, & poſſeſſiones à parentibus exhibentur, Vxor autem bona, à Deo.

Dilige non ægra.

XXVI. Eſto pius verè ſuper his, qui te genuere,
Nec tangas matrem, ni vis offendere patrem.
Qui ſubtrahit patri, aut matri, homicida eſt; & qui maledixerit patri, aut matri, morte morietur.

IOANNIS GANDVLPHI
BONONIENSIS
In aureorum Catonis Carminum de Morali Philoſophia, Librum IV.
LEONINA PARAPHRASIS.

Securam.

I. Vitam ſecuram quiſquis vis ducere puram,
Et qui ſinceris te moribus addere quæris,
Corde ſub attento mea ponere verba memento,
In quibus agnoſcas tu crimina, linquere poſcas.
Vita ſubjecta vitijs, non eſt ſecura.
Evenit, vt quum videris vitijs transformatum, hominem æſtimare non poſſis.
Præcepta ſapientũ ſint ſtimuli, & clavi præfixi in mẽte tua.

Cor

Digitized by Google

Cor prudens poſſidebit ſcientiam, & aures ſapientiam.

Deſpice divitias.

II. Abſit ditari, qui ſe vult mente beari,
Dives marceſcit, quanto plus copia creſcit.
Pecuniæ oportet imperare, & non ſervire.
Pecunia ſi ſcis uti, ancilla eſt; non domina.
Pecunia non ſanat avarum, ſed irritat.
Nihil honeſtius, & magnificentius, quam pecunias cõtemnere, ſi non habeas; & ſi habeas, ad liberalitatem conferre.
Si affluant divitiæ, noli cor apponere.

Commoda naturæ.

III. Qui non curaſſet plus quam natura rogaret,
Dives ſic eſſet, quòd res ſibi nulla deeſſet.
Paucis enim, minimiſque natura contenta eſt.
Qui ſibi ſufficiens eſt, cum divitijs natus eſt.

Cum ſis incautus.

IV. Si male res ſervas, ſi perdis rurſus acervos,
Fortunæ veras nequeas offerre querelas.
In veſtra enim manu ſitum eſt qualem vobis fortunam formare velitis.
Regnum habet egregium, qui ſe regit debita ratione.

Dilige denarium.

V. Proſpice tu nullum, ſed parcè dilige nummum,
Quem non optavit ſapiens, nec honeſtus amavit.

Cum fueris locuples.

VI. Quum locuples fueris: corpus curare ſtudebis.
Nam male cuſtodit dives, quem copia perdit.
Non domus, & fundi; non æris acervus, & auri
Ægroto domini educunt de corpore febres.
Qui negligunt ſuum corpus curare: diverſas infirmitates incurrunt.

Verbera quum toleris.

VII. Si fers doctorem diſcendi propter amorem,
Et reprehendentem debes tolerare parentem.
Serva præcepta patris tui: & legem matris tuæ non deſeras.

Res age.

VIII. Res adiutrices age: virtutiſque datrices,
Intempeſtivas fugito, ſemperque nocivas.
Malum eſt laborare ſine fructu:
Hoc vitium nobis vitandum eſt: ne nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, difficiles, & non neceſſarias conferamus.

Quod preſtare potes.

IX. Quod vis preſtari gratis, nolito rogari:
Nam benefacta dari ſapiens putat eſſe lucrari.

Quod tibi ſuſpectum.

X. Quæſtio debetur: quum res ſuſpecta videtur,
Namque ſcio verè, ſolet indiſcuſſa nocere.
Namque neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Quum te detineat.

XI. Quem nimium tangit Venus, & quem fortiter angit,
Non tradat ventri, quæ vult gula, cuncta volenti.
Quum venter immoderatè reficitur, genitalia in contumeliam excitantur.

Quum tibi proponas.

XII. Maximus eſt error, cui ſunt animalia terror:
Si tibi majoris non eſt homo cauſa timoris.
Omnia, quæ timentur, rationabiliter declinantur: homo magis timendus eſt, quia ingenioſior eſt ad nocendum.

Quum

Quum tibi pravalide.

XIII. Viribus intentus, non eſt vir fortis habendus,
Sed quemcunque vides ſapienter ducere vires.
Melior eſt vir ſapiens, viro forti.
Fortitudo eſt virtus ingrediendi terribilia, & per quam patienter ſuſtinemus adverſa.

Auxilium à notis.

XIV. Notos implores, fili, ſi forte labores,
Hoc ideo dico: medicus quis major amico. (*ratur.*
Sāctiſſimū genus amicorū nō in fortuna, ſed in virtute nume-

Quum ſis ipſe nocens.

XV. Quem mens damnabit, ſua victima nulla piabit,
Qualiter ergo malis ſuccurret mors animalis.
Pro delictis non delectaberis.

Quum tibi vel ſocium.

XVI. Si quis amicari vult, & ſe vult ſociari,
Non fortunatum quærat, ſed more probatum.
Divitiæ alicujus non ſunt appetendæ, ſed mores.

Utere quæſitis.

XVII. Effuge lucrari, ſumendo nomen avar',
Nec tibi ſit charus cenſus, quem ſervat avarus:
Avarus non habet ſe, neque ſua:
Quid mihi fortuna eſt, ſi non conceditur uti?

Si famam ſervare.

XVIII. Hoc fragili famam mundo ſi quæris honeſtam:
Crimina devites: quæ reddunt lucis egentes.

Quum ſapias animo.

XIX. Senſus defectam noli irridere ſenectam,

Eſt ſenibus vilis ſenſus: & mens puerilis.

Majoribus noſtris debemus reverentiam: paribus concordiam, & minoribus miſericordiam.

Diſce aliquid.

XX. Artem ſecteris quà tu mundanus haberis:
Ars manet, & durat, fortuna recedere curat.

Si addiſcere eſt laborioſum: ſcire tamen eſt glorioſum.
Poſſide ſapientiam, quia melior eſt auro.
Diſce prudentiam, quia pretioſior eſt argento.
Diſce artem, quia melior eſt, quàm pecunia infinita.

Proſpicito cuncta.

XXI. Alterius ſerva tacito moderamine verba,
Verba quidem celant mores, eademque revelant.

Exerce ſtudium.

XXII. Senſus curando creſcunt, vſus operando,
Sedulus artificem juvat vſus, cura legentem.

Natura potentē, Ars facilem, Vſus peritū reddit magiſtrū.
Gutta cavat lapidem non bis, ſed ſæpe cadendo.
Sic homo fit ſapiens non bis, ſed ſæpe legendo.
Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu.

Multum venturi.

XXIII. Mors dominū ſervo, mors ſceptra ligonibus æquat
Mors ſequitur legem, rapiens cum paupere regem.

Vtilis eſt mors cunctis bene viventibus.

Diſce, ſed à doctis.

XXIV. Scire rudes quærunt, quod nos docti docuerunt,
Vt ſucceſſorum fiat doctrina bonorum.

Perfectam nequit habere doctrinam, qui perfecti doctores negligit documenta.
Conſilium a ſapiente perquire, & indoctos ſtude docere.

Hoc

Digitized by Google

Hoc bibe.

XXV. Sanior eſſe potes: vinum raro quoque potes,
Dat peſtes multas, nimis exoptata voluptas.
Ebrietas multos ſubvertit: ſenſum minuit: ægritudinem augerit: mentem alienat.

Laudans.

XXVI. Si quis laudavit, quòd primitus ipſe probavit,
Hic non laudator; ſe vitatis habetur amator;
Nil cito laudaveris: nilque cito vituperaveris.

Rebus tranquillis.

XXVII. Rebus tranquillis metuas adverſa ſub illis,
Rurſus in adverſis melius ſperare ſuperſis.
In die bonorum non ſis immemor malorum.

Diſcere ne ceſſes.

XXVIII. Diſcat, qui neſcit, cura ſapientia creſcit:
Creſcit, & augetur, ſi longior vſus habetur.
☞ *Si alterum pedem in foveam tenerem, diſcere ſcientiam non ceſſarem.*
Homines ſcientes ſimiles ſunt Angelis.

Parcè laudato.

XXIX. Nate, cave dici: nimium laudantur amici:
Tempore monſtrabunt: quantum te ſemper amabunt.
Ne laudes amicum: niſi probaveris ante.
De iis eſt ſermo: qui virtute gloriam querunt.

Ne pudeat.

XXX. Ne pudeat queri: quod neſcis, atque doceri,
Qui ſcit, laudatur: qui neſcit, vituperatur.
Per ſcientiam laudamur, per ignorantiam vituperamur.
Sola pudore caret verecunda ſcholaris egeſtas.

Malo pudenter addiſcere, quam impudenter ignorare.

Cum Venere.

XXXI. Baccho frigeſcit, Baccho Venus ipſa caleſcit,
Litigium vità, quum res ſit boneſta petita.
Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.
Vinum immoderate ſumptum eſt lethale venenum.

Dimiſſos animo.

XXXII. Fac vt devites ſub falſo pectore mites,
Ne credas vndam placidam non eſſe profundam.
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Quum tibi diſpliceat.

XXXIII. Si contriſtaris, quum rerum damna ſequaris:
Iſte ſolentur, qui talia ferre videntur.
Si numeros, modoſque triſtium conſideres: adhuc te felicem negare non poſſis.
Solatium eſt miſeris ſocios habuiſſe penarum.

Quod potes.

XXXIV. Illud tentabis, fieri quod poſſe putabis,
Tutius eſt proram ſemper maris iſte per oram.
Qui cogitat facere vltra vires ſuas, nõ aſſequitur bonũ finẽ.
Cedere principijs malo, quam cedere fini.

Contra hominem.

XXXV. Multum deliras, ſi iuſto porrigis iras:
Iras non iuſtas dominus non mittit inultas.
Retribuet deus inimicis ſecundum opera manuum ſuarum.

Ereptis opibus.

XXXVI. Non eſt cauſa levis damnoſa perdere quævis,
Quȩdam portabis patienter quiſquis amabis.
Beatus vir, qui ſuffert tentationem propter iuſtitiam, quoniã quũ probatus fuerit, accipiet coronã vitȩ. *Ami-*

Amicos etiam nobis eligamus: ſi nihil nobis inde proveniat.

Tempora longa.

XXXVII. Non tibi confidas: vt longo tempore vivas,
Nam quo quiſquis abit: mors poſt veſtigia vadit.
Scio quod moriar: ſed vbi, quando, & quo modo, neſcio.
Non modo lateris, quia forſan cras morieris.

Thure Deum placa.

XXXVIII Victima ſervetur, domino thus ſacrificetur,
Nunquam placatur dominus, quum cæde litatur.
Non per vanam cupiditatem, ſed naturali virtutum officio ad beatitudinem pervenitur.

Cede locum læſis.

XXXIX. Non vlciſcaris quamvis tu lęſus haberis:
Qui nocuit nobis: forſan prodeſſe valebit,
Malus eſt qui offendit: deterior eſt qui non parcit.

Quum quid peccaris.

XL. Occidit injuſtus, nec non ſine crimine juſtus:
Qui feliciter vivunt, feliciter moriuntur.
Mors ſubita, niſi in electis, ſemper eſt dubia.

Quum tibi ſit conjunx.

XLI. Junctus ad vxorem, turpem vitabis amorem,
Ne labor incumbat, quo res, & fama procumbat.
Non bene cum ſocijs regna, Veneſqe manent.

Quum tibi contigerit.

XLII. Nemo ſit oblitus, fuerit cum valde peritus,
Quum plus condiſcat, ne diſcere quæſo fatiſcat.

FINIS

135

MARCELLINI GENVENSIS

CARMINVM LIBER

ITEM

AVRELII BRIXIENSIS

EPIGRAMMATA QVÆDAM

Nunc primum in lucem prodeunt
ex Bibliotheca

LAVRENTII LEGATI

Ad Sapientiſſimum Virum

P. ANGELICVM APROSIVM

Intemelienſem Auguſtinianum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERVDITISSIMO VIRO
ANGELICO APROSIO SVO
Laurentius Legatus.

Tam ſublimi laudis genere, quà tua eſt humanitas, ſuaviſſime APROSI, me commemoras in erudittiſſimis tuis ad Heroicas CRASSI noſtri Epiſtolas Notis, quas CAPRICORNI VIGILIAS inſcripſiſti: totque, ac tantis nuper honoribus me cumulatum voluiſti in primo Deſcriptionis ampliſſimæ tuæ BIBLIOTHECAE Volumine, ut, quod maximè abominor, ingratus videri poſſem, niſi aliquod ſaltem addictiſſimi argumentum animi tibi cum primum perſolverem. Id dum cogito, quum de meo quicquam interim abſolutum non ſuppetat, quod tibi nuncupem; ecce COSPIANVM deſcribenti MVSEVM, quod propediem edetur, & omnia proinde, quæ apud me ſunt, evolventi Scriptorum monumenta, ut quicquid ad rem offenderem in adverſaria conferrem: ecce, inquam, M. S. Carminum Marcellini Poetæ Genuenſis Liber ad manus venit, ex quo cum Elegiacum fragmentum de Margaritarum Viribus ad Marcellum Majoranium Acerræ Epiſcopum noſtro de Teſtaceis Tractatui inferendum adnotaſſem, dignus viſus eſt, quem cum Io. Gandulphi Scriptis, quæ ſub prælo erant, in lucem evocarem, tibique Viro tam de Literis benemerito inſcriberem. Vatem quippe Laurentij Legati Senioris Avi mei amicum, ut ex ejus ad hunc carminibus liquet, ex tenebrarum ergaſtulo in Solem educturus, Liguremque hucu que extorrem, & qui propterea Raphaelis optimi viri ſemper memorandi Lynceam in colligendis Liguriæ Scriptoribus diligentiam effugerat, Sereniſſimæ Reipublicæ redditurus, ad quem dirigerem niſi ad te, Ligures inter Scriptores mihi dilectiſſime Angelice? Ad te itaque Marcellinus feſtinet, Patriam in APROSIANA comperturus; ad te, inquam, Amicorum meorum optime, cujus operâ non in tuâ modo, ſed & in Soprani Bibliothecâ meum nomen æternitati commendatum nactus ſum,

cuique

cuique initam cum Io. Nicolao Cavana Literatorum Mecenate, ac Anfraho Matthiâ Franſono, Clariſſimis Genuæ Patritijs, alijſque doctiſſimis Viris amicitiam acceptam refero. Illud modo te exoratum velim, vt ſiquid de Poetæ vitâ tibi, aut amicis quibus cum alibi, tum Genuę abundas, expiſcari continget, id mihi notum facias, vt quod hic nequeo (nihil enim ex Genuenſibus hactenus elicere potui) ſaltē in noſtro Poetarum Athenęo literis mandare valeam. Vt verum quippe fatear, præter nudum Authoris nomen, ac nationem, quæ ex Herculis Cimiloti Epigrammate Marcellini Carminibus præfixo didici, nihil in præſentia de ipſo dicendum ſubit, niſi quod ſub finem exacti ſeculi floruit, & ex religioſiſſimâ æquè, ac doctiſsimâ Societate IESV Sacerdotem ſuſpicor ex fragmento quodam Elegiaco ad D. Ignatium: quanquam nihil de illo in P. Alegambe Bibliothecâ occurrat. Marcellino comes accedit, ipſo tamen antiquior, Aurelius Brixienſis Canonicus S. Salvatoris, cujus paucula, quæ ad manus venerunt, Epigrammata, cum vnum ex ijs in Coſpianum Muſeum contulerim, ne interirent, his adjeci, evangelici memor præcepti. COLLIGITE FRAGMENTA, NE PEREANT. Tu interim ſeculi noſtri decus, & maximum Liguriæ ornamentum, Vale, meque, vt aſſoles, ama.

Bononiæ Idib. Septemb. M. D. C. LXXIII.

HERCVLIS CIMILOTI VICOMERCATENSIS

Ad Auctorem ſequentium Carminum:

HEXASTICHON.

AN tibi Marcellus, Linus an tibi nomina præſtet,
Incertum, quando ſolus vtrumque refers.

Bellator Marcellus erat, Bellator & ipſe es,
Id Mundus, Dæmon, victa probatque Caro.

Tumque Linus vates fuit ortus Apolline: talem,
Te tua, docte Ligur, carmina culta probant.

Mar-

Digitized by Google

MARCELLINI GENVENSIS
VARIORVM CARMINVM LIBER,
AD OPICIVM SPINVLVM
Neapoli Genuam renavigaturum.

I.

ORta recens Charitum, ac virtutis vivida noſtris
Lux terris, venerande Opici, quem ſanguis avorum
Condecorat, fulget, dum te decorante viciſſim
Nunc noſtris aures monitis, nunc mentem, animumque
Si ſapis, oro, adhibe. Te te objectare periclis
Certum, atque incerto vitam committere Ponto
Indoleo: nam cæca hominum quis cor ſa furentum
Vexat amor? mentes, quæ dementeſve libido
Infenſas ratibuſque vias, metuendaque Nerei
Regna trucis tentare, Noto & dare carbaſa primum
Edocuit? num auri? num littora forte videndi
Heſperijs longè nimium loca diſſita ab oris?
Ah pereat quiſquis trepidum rate perfidus autum
Inſequitur, pereat patrias quem linquere terras,
Quem petere ignotas gentes, penituſque repoſtam
Tellurem luſtrare juvat, Pontumque profundum
Illum non flentes nati, non multa rogantis.
Conjugis ah lachrymæ, ah tumidi nova pignora ventris
In lucem ventura movent, ſimilem tenet ipſi
Nempe mari cura vna maris, quo eſt ſurdius nil
Terrificus ſive illum Aquilo, ſeu turbidus Auſter
Exagitat, ſive horrentes ciet Africus vndas.
Nec mora, veliferam pinum jam præpete greſſu
Conſcendit, jam portus abit, jam terra tuentem
Aufugit: vnda Polum jam circum claudit, & vndæ

Se vaſto latè jungit curvamine Cœlum.
Hic primum ſeoſim gelidus ſe ſe ingerere alto
Corde tremor, nec adhuc fluctus ſuper aſtra frementes
Advectant miſeram, truduntue in tartara puppim.
Demens heu quanto curarum agitabitur æſtu,
Cum certum nulla ſpe jam ſuperante ſalutis
Lethum intentabunt monſtra, æquora, nubila, venti?
Tunc vbi cara domus, potior tunc terrà ſubire
Iam æquore,tunc natos fruſtra meminiſſe relictos
Incaſſum, recoletque tori ſibi fœdere junctam,
Et propria externis ſe poſthabuiſſe pigebit.
At te, care puer, tantum reddende paternis
Hinc laribus, viduata parens quem mœſta, tremenſque
Suſpirat, parili quem ſtemmate clara juventus
Colloquijs expectat avens fruitura beatis,
Sive vrbem libeat colere, ac vaga compita lætos
Ire catervatim, patrioſve habitare penates.
Mox (procul horrendum ſcelus, ac petulantia verba)
Hybernas ſalibus, ſed honeſtis, fallere noctes,
Et genio indulgere, & fœdos pellere luſus,
Seu gramen torrente Polo ſtet ruris amati
Otia grata ſequi te, quem non faſcinàt auri
Cæcus Amor, quem nec peragrandi ſtulta cupido
Pertentat tumidumque ſalum, ventoſque procaces
Aufugere, & terras æquum eſt calcare jacentes.
Nonne vides latè ingenti dum murmure ſævis
Acta fremunt maria alta Notis, vt amica videntur
Te monitum voluiſſe, vt ſe illis credere tutum
Quam non ſit cernas, tranſtris ſed ephippia, & vadis
Littus vt anteferas, & terris terra petatur?
Rumpe moras, teque indomito procul æquore miti
Infer equo, jam nunc primum tibi Roma videnda eſt,
Roma parens, altrixque virùm, altrix Roma, Parenſque,
Morte obita exornant quos cælica ſerta Deorum
Nimirum has tibi, Chriſte, olim generaſſe Phalanges.

Gan-

Gaudet ovans, partiſque effuſo ſanguine palmis,
Et Coelum cumulatum, & triſtem Acheronta ſubactum,
Delubriſque horum ſimul auctam ad Sydera tolli,
Surgenteſque aras, ſanctiſque toreumata fruſtis
Ornati, fulvum gemmis ceu prænitet aurum,
Quæ votis pia turba frequens celebretque, colatque
Turba advecta frequens, ſeu qua fugit vnda Booten,
Seu qua Phœbus atrox ignes, animaſque calentes
Excitat, aut quà dextra, Thetis, candetve ſiniſtra
Exeſos tundens ſcopulos, quæ jure quotannis
Denique ſint populis coram veneranda propinquis,
Atque adeo tibi, care Opici, cui plurima menti
Relligio, ac Chriſti viget alto in pectore flamma.
Perge age, namque illam mirè gelida oſſa fovebunt,
Et miris augere parant famam incrementis,
Singula dum luſtrans oculis, nunc illa patenti,
Nunc iſta obducta circum venerabere thecà,
Nunc tumulus quæ intus ſacer accumulata recondit.
Principio, niſi res aliud, tempuſve repoſcat,
Ad ſeptem appulſum par eſt te pergere templa,
Scilicet ante alijs longè hæc potiora feruntur.
Majorum ſeu ſacra Deo quod nomine ſurgunt
Seu ſuperùm quod ibi lectiſſima fruſta colantur
Hæc petere haud differ, danda his ſunt tempora prima.
Prima ſalus curanda animi, cultuſque, nitorque.
Si tamen, ah nimium properus te pellat ab vrbe
Diſceſſus, vel pauca ſinas ne inviſere ſaltem.
Prorſus, eas moneo, ſanctorum ad ſancta latentum,
Queis ditata diu Laterana palatia gaudent,
Quicquid erit vel clauſa feris, vel pervia nulli,
Ne, rogo, ſanctorum ſancta haud veneratus abito.
Nil videt his majus, nil ſanctius Æthere ab alto
Sol rapidus quacumque means ſata fervidus vrit.
Aſt vbi ventum erit ad limen pede ſumma caveto
Aſcendas, duplici flexum niſi poplite; nulli eſt

Fas

Fas ſanctos ſuperare gradus, ſaxa alba, cruore
(Saxea queis orto madeant vel lumina fletu)
Sparta Dei, pedibuſque Polo calcata tremendis,
Æternæ moriens reficit dum ſtamina vitæ,
Stamina rupta diu patris eiu, ac crimine primo.
Inde iter ingreſſum recta, quò tenditur ædem
Ad Nivium, pigeat neve incunabula cara
Viſere, fœta quibus fortunatiſſima Matrum
Excepit Numen genitum, vna puerpera, Virgo.
Mira fides: tamen id vates cecinisse futurum
Ne dubita, Matremque Dei haud cunctatus adora.
Non ego vos divum proceres, vos vrbis, & orbis
Haud memorata canens fidiſſima lumina linquam,
Gloria par quibus eſt, mixtæ quorum vndique gentes
Templa ad celſa fluunt, cumulantque altaria donis,
Hincq; Petrum, hinc Paulum corde imo, atq; ore precatur:
Ergo illis comitemque pium, & pia vota ferentem
Hæc videant te templa, Opici, mora parvula magnis
Divitijs ſummi nam te cumulabit Olympi.
At ſi fors (mage quod que velim, & magis auguror eſſe)
Pluribus vrbe frui certum ſit lucibus, & te
Omnia luſtrandi teneat generoſa voluptas,
Mille tibi tunc ſacra Deum, tibi mille rubentum
Tecta auguſta Patrum ſpectare, ac culta vireta
Fas erit, Alcinoi biferas referentia ſylvas,
Heſperidumque hortos, & odora roſaria Pæſti.
Hinc flavum placido labentem gurgite Tybrim,
Hinc veterum ingentes ædes monimenta Quiritum.
Hinc proprio tandem infeſtas ſibi pondere moles,
Proſtratoſque Deos paſſim, & ſine Numine truncos
Et vidiſſe, olim & viſos meminiſſe placebit.
Longe oculis, animoque illud ſed gratius, alta
Cernere erit cum ſede Virum, cui tartara habenis
Flectere, cuique fores ſuperum reſerare poteſtas,
Purpureoque Patrum cœtu, ingentique caterva

Sti-

Stipatum, quam vexit amor Sixti ora tuendi,
Haudque ſemel libare ſacris juvat oſcula plantis.
Hic tibi Cardineos proceres ſe ſe offeret inter
Spinulææ gentis columen, quem fulgida geſtis
Summa vehit ſenſim Petri ad faſtigia virtus,
Atque oſtro, atque almà inſignis probitate Philippus.
Ille alacer magno te carum amplexus amore,
Te dignum meritis, & avità fronte nepotem,
Dumque ſuos habitare lares, dumque omnia ſecum
Vult properis vectum te cernere pulchra quadrigis,
Luces haud paucas remorabitur. Inde relicta
Vrbe, iterum vectantis equi calcaribus armos
Sedulus vrgebis, tum montes, prata, lacuſque
Romuleos, dulcique mero generoſa Faliſci
Præter celſa vehes, dehinc Thuſcia culta ſubibit,
Thuſcia, quam nuper Muſæ, quam carminis autor
Parnaſſi colit antrorum pertæſus Apollo,
Atque adeò innumeris jam Thuſcia candida Cycnis,
Quos inter quondam vt Regem contermina tellus
Longum iter emenſo quà te requieſſe licebit,
Prima tulit (niſi vana refert longæva vetuſtas)
Sic tandem haud illi cantu eſt ſortita ſecundum.
Quo me, Grylle, rapis? quis nunc novus incitat ardor
Repentes numeros, dum tu Dijs proximus alto
Ore Deum reſonas, dumque immortalibus æquas
Dijs homines, ſeu geſta refers, ſeu nomina in Ævum
Haud peritura canis, ſimul & tete inſeris aſtris?
Parva loquor, Phœbo, ac Muſis cariſſimus, at non
Relligione minor, ſumma ac pietate verendus.
Hinc tibi Diva cohors virtutum, hinc corde profundo
Et dulces ſtimulos, & ſanctos concipis ignes.
Salve, care Deo, ſalve, ò mea cura, tuorumque
Et decus, & columen, numeros ne deſpice noſtros:
Noſtros, ò noſtros neve oblivîſcere amores.
Hunc tibi corde, Opici, præclaro vt ſanguine junctum,

Scribendique ducem, morumque imitare magiſtrum.
Hunc noſtris verbis optata ad littora tandem
Advectus ſalvere iterumque, iterumque jubeto.

Epiſtola ad Ligurem Autoris Conſanguineum in preſſura cōſtitutum. II.

EXcemplo nigras terris, ſolemque, diemque
Eripuiſſe hyemes, Libycoque furente fugatas
Ah placidas auras, notum & remeaſſe ſub antrum,
Cunctaque cunctorum finem, exitiumque ſupremum
Mirabar pullo portendere turbida vultu.
Tum verò inſolitus mentis penetrare latebras
Iam metus, ipſa mali velut & præſaga futuri
Non niſi luctificis agitari pectora curis.
Sic ego, ſic tellus, rerum ſic ſe omnis habebat
Tunc ſtatus; ecce tua mihi cum nil tale putanti
Charta datur perarata manu: vetat improbus eheu
Addere plura dolor: nunc hæc ſatis; auribus ipſe
Percipies ommiſſa tuis; id cuncta nigrantem
Scilicet in faciem verſa, id metus ille ferebat.
Quod ſupereſt noſtri ſigna hæc tu carmina amoris,
Quamvis culta minus, quamvis luctante Camœna
Accipito interea, noſtri & tibi ſigna doloris.
Hactenus illa pari ſonuerunt condita, ſed jam
Impare cogentur pede currere, triſtia quando
Dedecet imparibus niſi verſibus acta referri.
Ergo lege, hiſque animum, ſi fas, ſolare legendo,
Fas & erit, ſeu mœſta etenim, ſeu læta ſit, vſque
Muſa placet, menteſque alacri dulcedine fundit.

Ad Fabricium Iuſtinianum pro Ioanne Baptiſta eius fratre. III.

SEmeſtrem expectat ceu Gens Aquilonia quondam
Semeſtri ſub nocte diem, nimiumque morantis
Plauſtra Dei, ſævus quem Mars, Cythereaque claudunt,

Et clauſum vetera exercent odia aſpera in aſtrum.
Haud ſecus, ò noſtri frater pars altera cordis,
Ilicet acta procul mihi quo præſente fatiſcit
Caligo mœroris atrox, te pectore cæco
Iam dudum fruſtra opperior, tua lumina fruſtra
Aſpicere, heu, cupiunt oculi, quibus ipſe vel almus
Luminis advector, ſine te, nigreſcat Apollo,
Et nitidum nox orta diem triſti occulat vmbra.
O, venias aliquando, precor, mea vota, preceſque
Audiat ò rerum ſator, atque exaudiat, oro,
Si non vana rogo, ſi non indebita poſco.
Fallor? an ad ſuperûm protuerunt carmina ſedes
Perveniſſe mea? en Pater intonuiſſe ſiniſtrum
Ipſe Deûm mihi viſus. Adeſt, nec fallimur; en jam
Expectatus adeſt, Æra audin? pendula clauſtris
Ingeminant pulſata ſonum, meus illa fatigat
Dulcia Fabricius mecum, qui verba peroptat
Miſcere, hunc ſequiturque comes, quo fulget alumno
Felix prole virûm, & felix Campania frugum
Martius, alma ſinu fovit quem Pallas amatum,
Delius inſtruxitque ſuis ſacer artibus olim,
Et mea quo tandem patria vrbs nunc hoſpite gaudet,
Curre age, pande forem primam, cui pandere curæ eſt.

Laus Præceptoris pro Diſcipulo. IV.

ÆTernum prono velut incita flumina curſu,
Sive imis ſpecubus, ſive orta cacûmine rupis,
Iam dudum obliquo peragratis tramite terris
Immenſum tandem Pelagi volvuntur in Æquor,
Acceptas inito reddant vt fœdere lymphas.
Sic decus ò vatum, noſtri lux maxima ſæcli,
Et mihi care nimis, ſemperque colende magiſter,
Quos nuper Pindi rores à te hauſimus, illos
Fas vt cumque animo mihi ſit nunc reddere grato,

Atque

Atque tuas meritis æquas contexere laudes.
Verum quid tento? noſtris quid viribus impar
Nunc opus aggredior? quem vix Thymbræus Apollo
Laudibus auderet vatem exæquare canendo,
Ipſe canam? ipſe rudi Muſa? nulla ipſe Minerva?
Quin mage te ſatius ſit concelebrare ſilenti
Pectore, ne tanto dignas pro crimine pœnas
Infelix quondam, vt proles Clymeneia, pendam.
Ille patris currum, atque ingentem lampada mundi
Ducere avens rapidis convexa per aſtra quadrigis,
Et matutinas ab Eoo cardine luces
Nuncque manu laxare rudi, nunc tendere habenas,
Ignaruſque viæ, tanti inſuetuſque laboris,
Poſt latè ambuſtum radijs flammantibus orbem
Ictus pro meritis horrendo fulmine ab Æthrà
Præcipitatus obit: mihi ſic tentare paranti
Haud impar facinus, Iovis iram, & tela triſulca
Ah timeo: ſcelerum Rex vltor Iupiter idem,
Dextraque par paribus ſcelus ignibus ardua multat.

Mors Theotrantis, fictum pro antiquo. V.

VIbrato intereà fremebunda Phalarica nervo
Acta volans, Theotranta petit, moxque alba recludit
Pectora, deque alto dat corde infixa cruorem.
Ilicet in vulnus ruere, ac rabido ore prehenſam
Mandere humum obluctans juvenis, revolutaque membra
Tendere mirandum viſu jam jam horrida circum
Obtegit, inque oculos torvos properata cadit nox,
Vita fugit mixto cum ſanguine fuſa ſub vmbras.

In gratiam Laurentij Legati Sen. VI.

NOn ſemper valles, non ſemper culmina montis
Oblectant oculos, loca nec campeſtria ſemper,

Sed variare vices, modo vallis & ima tueri,
Et modo cernere opus montis juga celſa, modo ipſas
Inter vtrumque ſitas campeſtres viſere terras.
Aſt oculos pulcris capiunt proſpectibus illa
Præcipue loca, quæ magnum aſſimulata theatrum
Objiciunt vna valles, campeſtria, montes.

Deſunt reliqua.

De PLVS NIMIO, & NIMIO' PLVS. VII.

PLVS NIMIO', qui aufert, & dici vult NIMIO' PLVS,
PLVS NIMIO' non eſt Aſininus, ſed NIMIO' PLVS.

MARCELLINI GENVENSIS

E L E G I Æ.

Ad Chriſtum naſcentem.

E L E G I A I.

NAſceris intactæ clauſa dum matris ab alvo,
Nate Deo, Matris conditor ipſe, Deus.
Quas me poſſe reor dignas perſolvere laudes,
Ilicet aggredior pectore avente tuas.
Vtque intermiſſos ales ciet ardua cantus,
Humanos audit mox vbi læta modos.
Sic tibi cœlicolum turba modulante volucrum
Aſſonat Angelicis vox quoque noſtra Choris.
At me jam cæptis obſtans, ſua nomina Cœlo
Quæ trahit, exorſum ſic Dea ſæva quatit.

Tu

Tu ne ſacros reſerare amens, tune improbe partus?
Auſa nec ò nimium jam tua, ſtulte, paves?
An latet immenſo junctam ſed Numine carnem
Quam ſit te parvum concelebraſſe nefas?
Aſpice, cuncta ſilent, Verbum dum naſcitur infans,
Ipſa ſonat verbi Verba nec vlla Parens.
Tantum immota Dei miratur ab vbere natum
Sugere, quem peperit, pabula cara ſuo.
Obſtupet, atque animo ſenſim obſtupefacta liqueſcit,
Dum libat teneris oſcula caſta genis.
Muta, vides? domino famulatum animantia præſtant,
Et ſtupidus matris conticet ipſe Comes.
Hinc quoque te monitum par eſt celebrare ſilendo
Myſtica, quæ ſuperùm vix decet ora loqui.
Pareo; ne ſævi, Vraniæ, mihi, Numen; at illi
Quando eſt quas reddam dic Pia, quæſo, vices?
Sic ego; cui mox illa: datis majora daturo
Vis ſibi quod placeat ſolvere gratus? ama.

Ad Gabrielem Leterium de Chriſto Reſurgente.

ELEGIA II.

VT vivum luci quo lux ſata fulſit Olympo
Marmora reſtituant, morte ſtupente, Deum.
Vtque orbis victor, domitoque Acheronte triumphans
Illuſtres animas candida in aſtra feras;
Exigis vt referam, numeriſque canenda Deorum
Geſta Dei memorans increpet iſta Chelys.
Non hæc fas noſtris, non hæc petere alta Camœnis,
Grandia ſunt grandi facta canenda tubà.
Numina formidant terris adſueta, latentum
Ardua cœlituum ſcandere Pierides.
Et caſus timet ingentes mens docta periclis,
In vada præcipitem dum Phaetonta legit.

Et numeris dare falſiloquis Veſpuccio honores,
Quos tantum civi dant ſua geſta meo.
Quos dant Heſperiæ, quos dat pleno ore Pelaſgus,
Et dare pro meritis præmia quiſquis amat.
Scriptaque quos tribuunt, tunc interitura, ſupremus
Cum quodvis hominum deſtruet ignis opus.
Solvit ab Heſperiâ, lemures procul eſte, Columbus
Vltimâ, & ignotum per mare tendit iter.
Iamque illum Occiduus ſtupet alto è gurgite Nereus,
Hactenus inviſas Ponto aperire vias.
Nereidumque ſimul ſtupet admirata caterva,
Vt fremat inſolito pondere preſſa Tethys.
Vtque Polo, quam Typhis agit, ſua lumina jam jam
Condat ab alterius lumine victa ratis.
Tum Genitor, Genitæque alacres, tum magnus & ipſe
Accurrit properis Ennoſigæus equis.
Sævaque qui facilis modo dat, modo providus antro
Condit, & adverſâ flamina lege premit.
Accurrunt, vultuque hilari, & clamore ſecundo
Per tumidas claſſem pone ſequuntur aquas.
Sed ſatis hac luſiſſe tenus, vos ludicra Ponti
Numina jam veris cedite Numinibus.
Ipſe rates vehit, ipſe Deus rate fertur ad oras
Occiduas, rerum quem genus omne colit.
Chriſtophoro vt Chriſtus, ſic vecta Columba Columbo eſt,
Iure datum quis ei nomen vtrumque neget?
Te duce, Chriſtophorus, Chriſte, appulit, ora viciſſim
Te duce ſtat Chriſto barbara, Chriſtophore.
Namque vbi prima ſacro ſignata eſt robore tellus,
Quo moriens inſons crimina cuncta necat.
Ipſa petita prius ſimulacra horrentia rerum
Ceſſarunt Stygio protinus ore loqui.
Squallentemque Erebum, noctem & petiere profundam
Lurida ab angelicis agmina pulſa Choris.
Hinc facta eſt animorum ita Chriſto, & Regibus auri,

Inque

Inque auro ſoliti fulgere, terra ferax.
Quippe ſolum hoc fœlix, opulentaque regna manebant
Debita virtuti, magne Philippe, tuæ.
Fortunate nimis, ſummus cui conditor orbis
Extremis penitus dat dare jura locis.
Macte animi pietate, auſiſque ingentibus Heros,
Et Regnis priſcis, & magis aucte novis.
Ipſe Deo grates, grateſque repende Columbo,
Eſt Chriſto & Liguri laus ſoluenda Duci.
Illius auſpicijs, huius reſerata labore
Tot freta, tot populi, tot tibi regna patent.
Iam quibus Heſperiæ redeuntem applauſibus vrbes
Excipiant, dignè quæ rogo verba ferant?
Quidve referre opus eſt Reges vt honoribus auctum
Iam cumulent titulis, ſtemmate, divitijs?
Vt totum increſcens ſpatietur fama per orbem,
Dum canit aurata littora viſa tuba?
Vt tua geſta, ſacris celebrarint carmina chartis,
O non exiguo carmine digne cani?
Cum tamen intereà purum ſuper æthera pectus
Afflatus ſancto concipis igne Deum.
Namque ſenes, juveneſque auri dum cæca libido
Cogit ad ignotos tendere puppe lares;
Viſendique alijs tantum nova littora curæ eſt,
Plus nimio levibus, quos nova monſtra juvant.
Ipſe animorum avidus quanam ratione doceres
Curabas homines dogmata ſancta rudes.
Hinc doctum ſuades agmen tecum ire, repetto
Hincque ſequuta ducem te pia turba ſolo eſt.
Hinc fas eſt rectà quibus ipſe potiris in Æuum
Occiduæ genti ſcandere in aſtra viâ.
Salve magne ſenex, ſalve ò lux addita terris
Huc ò lux Liguræ maxima gentis ades.
Huc ades ò noſtro quo jam novus additur orbis,
Inque vicem noſtrum quo novus orbis habet.

Huc

Stipatum, quam vexit amor Sixti ora tuendi,
Haudque ſemel libare ſacris juvat oſcula plantis.
Hic tibi Cardineos proceres ſe ſe offeret inter
Spinulеæ gentis columen, quem fulgida geſtis
Summa vehit ſenſim Petri ad faſtigia virtus,
Atque oſtro, atque almâ inſignis probitate Philippus.
Ille alacer magno te carum amplexus amore,
Te dignum meritis, & avitâ fronte nepotem,
Dumque ſuos habitare lares, dumque omnia ſecum
Vult properis vectum te cernere pulchra quadrigis,
Luces haud paucas remorabitur. Inde relicta
Vrbe, iterum vectantis equi calcaribus armos
Sedulus vrgebis, tum montes, prata, lacuſque
Romuleos, dulcique mero generoſa Faliſci
Præter celſa vehes, dehinc Thuſcia culta ſubibit,
Thuſcia, quam nuper Muſæ, quam carminis autor
Parnaſſi colit antrorum pertæſus Apollo,
Atque adeò innumeris jam Thuſcia candida Cycnis,
Quos inter quondam vt Regem contermina tellus
Longum iter emenſo quà te requieſſe licebit,
Prima tulit (niſi vana refert longæva vetuſtas)
Sic tandem haud illi cantu eſt ſortita ſecundum.
Quo me, Grylle, rapis? quis nunc novus incitat ardor
Repentes numeros, dum tu Dijs proximus alto
Ore Deum reſonas, dumque immortalibus æquas
Dijs homines, ſeu geſta refers, ſeu nomina in Ævum
Haud peritura canis, ſimul & tete inſeris aſtris?
Parva loquor, Phœbo, ac Muſis cariſſimus, at non
Religione minor, ſumma ac pietate verendus.
Hinc tibi Diva cohors virtutum, hinc corde profundo
Et dulces ſtimulos, & ſanctos concipis ignes.
Salve, care Deo, ſalve, ò mea cura, tuorumque
Et decus, & columen, numeros ne deſpice noſtros:
Noſtros, ò noſtros neve oblivіſcere amores.
Hunc tibi corde, Opici, præclaro vt ſanguine junctum,

Scri-

Scribendique ducem, morumque imitare magiſtrum.
Hunc noſtris verbis optata ad littora tandem
Advectus ſalvere iterumque, iterumque jubeto.

Epiſtola ad Ligurem Autoris Conſanguineum in preſſura cõſtitutum. II.

EXtemplo nigras terris, ſolemque, diemque
Eripuiſſe hyemes, Libycoque furente fugatas
Ah placidas auras, notum & remeaſſe ſub antrum,
Cunctaque cunctorum finem, exitiumque ſupremum
Mirabar pullo portendere turbida vultu.
Tum verò inſolitus mentis penetrare latebras
Iam metus, ipſa mali velut & præſaga futuri
Non niſi luctificis agitari pectora curis.
Sic ego, ſic tellus, rerum ſic ſe omnis habebat
Tunc ſtatus; ecce tua mihi cum nil tale putanti
Charta datur perarata manu: vetat improbus eheu
Addere plura dolor: nunc hæc ſatis; auribus ipſe
Percipies ommiſſa tuis; id cuncta nigrantem
Scilicet in faciem verſa, id metus ille ferebat.
Quod ſupereſt noſtri ſigna hæc tu carmina amoris,
Quamvis culta minus, quamvis luctante Camœna
Accipito interea, noſtri & tibi ſigna doloris.
Hactenus illa pari ſonuerunt condita, ſed jam
Impare cogentur pede currere, triſtia quando
Dedecet imparibus niſi verſibus acta referri.
Ergo lege, hiſque animum, ſi fas, ſolare legendo,
Fas & erit, ſeu mœſta etenim, ſeu læta ſit, vſque
Muſa placet, menteſque alacri dulcedine fundit.

Ad Fabricium Iuſtinianum pro Ioanne Baptiſta eius fratre. III.

SEmeſtrem expectat ceu Gens Aquilonia quondam
Semeſtri ſub nocte diem, nimiumque morantis
Plauſtra Dei, ſævus quem Mars, Cythereaque claudunt,

Et clauſum vetera exercent odia aſpera in aſtrum.
Haud ſecus, ò noſtri frater pars altera cordis,
Ilicet acta procul mihi quo præſente fatiſcit
Caligo mœroris atrox, te pectore cæco
Iam dudum fruſtra opperior, tua lumina fruſtra
Aſpicere, heu, cupiunt oculi, quibus ipſe vel almus
Luminis advector, ſine te, nigreſcat Apollo,
Et nitidum nox orta diem triſti occulat vmbra.
O, venias aliquando, precor, mea vota, preceſque
Audiat ò rerum ſator, atque exaudiat, oro,
Si non vana rogo, ſi non indebita poſco.
Fallor? an ad superùm protuerunt carmina ſedes
Perveniſſe mea? en Pater intonuiſſe ſiniſtrum
Ipſe Deùm mihi viſus. Adeſt, nec fallimur; en jam
Expectatus adeſt, Æra audin? pendula clauſtris
Ingeminant pulſata ſonum, meus illa fatigat
Dulcia Fabricius mecum, qui verba peroptat
Miſcere, hunc ſequiturque comes, quo fulget alumno
Felix prole virûm, & felix Campania frugum
Martius, alma ſinu fovit quem Pallas amatum,
Delius inſtruxitque ſuis ſacer artibus olim,
Et mea quo tandem patria vrbs nunc hoſpite gaudet,
Curre age, pande forem primam, cui pandere curæ eſt.

Laus Præceptoris pro Diſcipulo. IV.

ÆTernum prono velut incita flumina curſu,
Sive imis ſpecubus, ſive orta cacùmine rupis,
Iam dudum obliquo peragratis tramite terris
Immenſum tandem Pelagi volvuntur in Æquor,
Acceptas inito reddant vt fœdere lymphas.
Sic decus ò vatum, noſtri lux maxima ſæcli,
Et mihi care nimis, ſemperque colende magiſter,
Quos nuper Pindi rores à te hauſimus, illos
Fas vt cumque animo mihi ſit nunc reddere grato,
Atque

Atque tuas meritis æquas contexere laudes.
Verum quid tento? noſtris quid viribus impar
Nunc opus aggredior? quem vix Thymbræus Apollo
Laudibus auderet vatem exæquare canendo,
Ipſe canam? ipſe rudi Muſa? nulla ipſe Minerva?
Quin mage te ſatius ſit concelebrare ſilenti
Pectore, ne tanto dignas pro crimine pœnas
Infelix quondam, vt proles Clymeneia, pendam.
Ille patris currum, atque ingentem lampada mundi
Ducere avens rapidis convexa per aſtra quadrigis,
Et matutinas ab Eoo cardine luces
Nuncque manu laxare rudi, nunc tendere habenas,
Ignaruſque viæ, tanti inſuetuſque laboris,
Poſt latè ambuſtum radijs flammantibus orbem
Ictus pro meritis horrendo fulmine ab Æthrà
Præcipitatus obit: mihi ſic tentare paranti
Haud impar facinus, Iovis iram, & tela triſulca
Ah timeo: ſcelerum Rex vltor Iupiter idem,
Dextraque par paribus ſcelus ignibus ardua multat.

Mors Theotrantis, ſictum pro antiquo. V.

VIbrato intereà fremebunda Phalarica nervo
Acta volans, Theotranta petit, moxque alba recludit
Pectora, deque alto dat corde infixa cruorem.
Ilicet in vulnus ruere, ac rabido ore prehenſam
Mandere humum obluctans juvenis, revolutaque membra
Tendere mirandum viſu jam jam horrida circum
Obtegit, inque oculos torvos properata cadit nox,
Vita fugit mixto cum ſanguine fuſa ſub vmbras.

In gratiam Laurentij Legati Sen. VI.

NOn ſemper valles, non ſemper culmina montis
Oblectant oculos, loca nec campeſtria ſemper,

Sed variare vices,modo vallis & ima tueri,
Et modo cernere opus montis juga celſa, modo ipſas
Inter vtrumque ſitas campeſtres viſere terras.
Aſt oculos pulcris capiunt proſpectibus illa
Præcipue loca, quæ magnum aſſimulata theatrum
Objiciunt vna valles, campeſtria, montes.

Deſunt reliqua.

De PLVS NIMIO, & NIMIO' PLVS. VII.

PLVS NIMIO', qui aufert, & dici vult NIMIO' PLVS,
PLVS NIMIO non eſt Aſininus, ſed NIMIO' PLVS.

MARCELLINI GENVENSIS

ELEGIÆ.

Ad Chriſtum naſcentem.

ELEGIA I.

NAſceris intactæ clauſa dum matris ab alvo,
Nate Deo, Matris conditor ipſe, Deus.
Quas me poſſe reor dignas perſolvere laudes,
Ilicet aggredior pectore avente tuas.
Vtque intermiſſos ales ciet ardua cantus,
Humanos audit mox vbi læta modos.
Sic tibi cœlicolum turba modulante volucrum
Aſſonat Angelicis vox quoque noſtra Choris.
At me jam cæptis obſtans, ſua nomina Cœlo
Quæ trahit, exorſum ſic Dea ſæva quatit.

Tu ne ſacros reſerare amens, tune improbe partus?
Auſa nec ò nimium jam tua, ſtulte, paves?
An latet immenſo junctam ſed Numine carnem
Quam ſit te parvum concelebraſſe nefas?
Aſpice, cuncta ſilent, Verbum dum naſcitur infans,
Ipſa ſonat verbi Verba nec vlla Parens.
Tantum immota Dei miratur ab vbere natum
Sugere, quem peperit, pabula cara ſuo.
Obſtupet, atque animo ſenſim obſtupefacta liqueſcit,
Dum libat teneris oſcula caſta genis.
Muta, vides? domino famulatum animantia præſtant,
Et ſtupidus matris conticet ipſe Comes.
Hinc quoque te monitum par eſt celebrare ſilendo
Myſtica, quæ ſuperùm vix decet ora loqui.
Pareo; ne ſævi, Vraniæ, mihi, Numen; at illi
Quando eſt quas reddam dic Pia, quæſo, vices?
Sic ego; cui mox illa: datis majora daturo
Vis ſibi quod placeat ſolvere gratus? ama.

Ad Gabrielem Leterium de Chriſto Reſurgente.

ELEGIA II.

VT vivum luci quo lux ſata fulſit Olympo
Marmora reſtituant, morte ſtupente, Deum.
Vtque orbis victor, domitoque Acheronte triumphans
Illuſtres animas candida in aſtra feras;
Exigis vt referam, numeriſque canenda Deorum
Geſta Dei memorans increpet icta Chelys.
Non hæc fas noſtris, non hæc petere alta Camœnis,
Grandia ſunt grandi facta canenda tubà.
Numina formidant terris adſueta, latentum
Ardua cœlituum ſcandere Pierides.
Et caſus timet ingentes mens docta periclis,
In vada præcipitem dum Phaetonta legit.

Vidit, & id recolens jam vir, nunc candidus ales,
Mi ſatius terram radere (dixit) erit.
Hinc Ligurem Ligur ipſe ſequor, nec ſurgere pennis
Audeo, nec patulas Ætheris ire vias.
Adde quod ingenium cultis infenſa roſetis
Sæpe agit in vepres tetrica Diva ſuos.
Et dulces vetat ad numeros plectra aurea Phœbum
Ducere per nitidæ fila legenda lyræ.
At te, quem pietas, dignus quem nomine cantus
Gabriel, Angelicis inſerit agminibus:
Te magis iſta decent, Summique trophæa Tonantis
Dicere, quæ triplici victor ab hoſte tulit.
Vtque reſurgenti circum ſacra agmina plaudant,
Agmina Divinum pangere docta melos.
Ipſaque virgineis redivivum amplexa lacertis
Pectore concipiat gaudia quanta Parens.
Quique prius tumulo ſublatum flebat Amorem,
Vt vivum lætus tangere certet Amor.
Hoſpitis vt longum fallat comitantis imago,
Myſtica dum referat carmina priſca, duos.
Tum celer in tenues abiens ſator agnitus auras
Angat vt, & pariter triſtia corda levet.
Vt trepidos viſens monitis ſoletur amicis,
Roboret vt firmà pectora lapſa fide.
Hæc tibi ſunt digno non prætereunda Cothurno,
Hæc ſunt (ne dubita) pectine digna tuo.
Fare age, nam (memini, nec te fugit) Angelus illum
Sic vivum retulit, concinuitque prior.
Mox infida virûm, & male credula turba magiſtro
Vocibus excepit nuncia fœmineis.
Haud ſecus Angelico hæc te promere condecet ore,
Vt ſint poſt muſis concelebranda meis.

Ioan-

Ioanni Carolo, & Andrea Imperialibus Patricijs Genuenſibus.

ELEGIA III.

O Quibus imperium nomen, quibus ardua virtus
Imperio, & meritum grandius orbe dedit.
Inclyta progenies, fratrum par aureum, Amoris
Fraterni ſpecimen, nobilitatis honor.
Quæ nunc dona vadis damus hauſta Aganippidos vndæ,
Sumite, ſunt cordis pignora certa mei.
Magna (fatemur enim) vobis debentur; at ipſos
Sæpe juvant magnos munera parva Deos.
Et vos ergo ſequi, colitis quæ numina, par eſt,
Parvula dum toto pectore dona fero.
Pectore, quod veſtra æternum decora alta canendi
Fervet, & ardenti jugiter igne micat.
Atque vtinam optatos quondam Polyhymnia menti
Suggerat, & Phœbo nobiliore modos!
Vt mea vos pariter celebrabunt carmina, quæ vis
Nulla queat fati lædere, nulla dies.

Chriſtophori Columbi Nautica adverſus Rabidium, & Amurcum detractores.

ELEGIA IV.

PErdite quid Rabidi blateras? ſcelerate quid atro
Tu quoque commeditans pectore, Amurce, vomis!
Quis furor, aut odium, quis in Aſtra recentia Cœli
Vos Acherontæis motibus ardor agit?
Scilicet Aſtra Polo mendacia veſtra refigant,
Et medium certent condere nocte diem.
Nec ſua jam Phœbo vobis rudientibus almo
Lumina ſint, magno nec ſua tela Iovi.
Iure etenim æternæ potitur qui præmia laudis
Iam vobis æquum eſt eripuiſſe viro.

Et numeris dare falſiloquis Veſpuccio honores,
Quos tantum civi dant ſua geſta meo.
Quos dant Heſperiæ, quos dat pleno ore Pelaſgus,
Et dare pro meritis præmia quiſquis amat.
Scriptaque quos tribuunt, tunc interitura, ſupremus
Cum quodvis hominum deſtruet ignis opus.
Solvit ab Heſperià, lemures procul eſte, Columbus
Vltimà, & ignotum per mare tendit iter.
Iamque illum Occiduus ſtupet alto è gurgite Nereus,
Hactenus inviſas Ponto aperire vias.
Nereidumque ſimul ſtupet admirata caterva,
Vt fremat inſolito pondere preſſa Tethys.
Vtque Polo, quam Typhis agit, ſua lumina jam jam
Condat ab alterius lumine victa ratis.
Tum Genitor, Genitæque alacres, tum magnus & ipſe
Accurrit properis Ennoſigæus equis.
Sævaque qui facilis modo dat, modo providus antro
Condit, & adverſà flamina lege premit.
Accurrunt, vultuque hilari, & clamore ſecundo
Per tumidas claſſem pone ſequuntur aquas.
Sed ſatis hac luſiſſe tenus, vos ludicra Ponti
Numina jam veris cedite Numinibus.
Ipſe rates vehit, ipſe Deus rate fertur ad oras
Occiduas, rerum quem genus omne colit.
Chriſtophoro vt Chriſtus, ſic vecta Columba Columbo eſt,
Iure datum quis ei nomen vtrumque neget?
Te duce, Chriſtophorus, Chriſte, appulit, ora viciſſim
Te duce ſtat Chriſto barbara, Chriſtophore.
Namque vbi prima ſacro ſignata eſt robore tellus,
Quo moriens inſons crimina cuncta necat.
Ipſa petita prius ſimulacra horrentia rerum
Ceſſarunt Stygio protinus ore loqui.
Squallentemque Erebum, noctem & petiere profundam
Lurida ab angelicis agmina pulſa Choris.
Hinc facta eſt animorum ita Chriſto, & Regibus auri,

Inque

Inque auro ſoliti fulgere, terra ferax.
Quippe ſolum hoc fœlix, opulentaque regna manebant
Debita virtuti, magne Philippe, tuæ.
Fortunate nimis, ſummus cui conditor orbis
Extremis penitus dat dare jura locis.
Macte animi pietate, auſiſque ingentibus Heros,
Et Regnis priſcis, & magis aucte novis.
Ipſe Deo grates, grateſque repende Columbo,
Eſt Chriſto & Liguri laus ſoluenda Duci.
Illius auſpicijs, huius reſerata labore
Tot freta, tot populi, tot tibi regna patent.
Iam quibus Heſperiæ redeuntem applauſibus vrbes
Excipiant, dignè quæ rogo verba ferant?
Quidve referre opus eſt Reges vt honoribus auctum
Iam cumulent titulis, ſtemmate, divitijs?
Vt totum increſcens ſpatietur fama per orbem,
Dum canit aurata littora viſa tuba?
Vt tua geſta, ſacris celebrarint carmina chartis,
O non exiguo carmine digne cani?
Cum tamen intereà purum ſuper æthera pectus
Afflatus ſancto concipis igne Deum.
Namque ſenes, juveneſque auri dum cæca libido
Cogit ad ignotos tendere puppe lares;
Viſendique alijs tantum nova littora curæ eſt,
Plus nimio levibus, quos nova monſtra juvant.
Ipſe animorum avidus quanam ratione doceres
Curabas homines dogmata ſancta rudes.
Hinc doctum ſuades agmen tecum ire, reperto
Hincque ſequuta ducem te pia turba ſolo eſt.
Hinc fas eſt rectà quibus ipſe potiris in Ævum
Occiduæ genti ſcandere in aſtra vià.
Salve magne ſenex, ſalve ò lux addita terris
Huc ò lux Liguræ maxima gentis ades.
Huc ades ò noſtro quo jam novus additur orbis,
Inque vicem noſtrum quo novus orbis habet.

Huc ades, ò rutilo populus quo fulget in auro
Heſperius, ſuperas quo tenet Indus opes.
Sic vigeas, cœlis vt Numine, nomine terris,
Sic faveas votis vſque benigne meis.
Sic Stygius livor, ſic & tua præmia Lethe,
Sic nequeat rerum ledere tempus edax.
Non tibi Phydiaci ſtet digna laboris imago,
Sed manibus ſuperis ex adamante micet.
Nec tua texere opus ſit vatum: ipſe illa ſed alto
Adlapſus terris Angelus ore canat.
Angelus, egregijs nimium ſtirps inclyta geſtis,
Cujus ab ingenti limine Grylla nitet.
Angelus, enixa eſt Chriſto quem ſacra vocanti
Nurſini mater legibus orta Patris.
Angelus & genito mea quo patria aucta ſuperbit,
Et mihi quem dulci glutine jungit Amor.
Quem celebrem numeris vatem colit Arnus Etruſcis,
Æmulus hinc Latijs dum fluit amne vadis,
Ille tuas laudes vnus, tua fata retexat,
Aſt mea, ſi cupiat dicere, muſa, ſat eſt.

Ad Laurentium Centurionum.

ELEGIA V.

VEr flores quot alit, quot abundat frugibus æſtas,
Muſta quot autumnus, brumaque quot dat aquas.
Gramina quot campis, ſylvis quot ligna vireſcunt,
Flumina tellurem quot properata rigant.
Quotque vagos agitat vaga littoris vnda lapillos,
Quotque vndas auſter littore frangit atrox.
Excitat impreſſo quot aratrum vomere glebas,
Quot ſata multiplicat pinguia gleba putris.
Aurea noſturno fulgent quot ſydera Cœlo,
Quot Cœlo gemmis æmula terra micat.

Quot

Quot mentes beat Empyreum, quot torquet Avernus,
Quotque homines habitant oppida, luſtra feræ.
Pabula quot pecudes paſcuntur læta per agros,
Quotque greges mutos dat lacus amne, mare.
Pennigeræque ſecant liquidum quot inane volucres,
Quot quatitur guttis imbre cadente ſolum.
Quot gelat Arctoo Cynoſura ſub axe pruinas,
Quot candet villis Æthere lana fluens.
Roma ducum genitrix ſacra quot tegit oſſa ſepulcris,
Quot finxit, fictos excoluitque Deos.
Vina quot indomito dat ager Campanus Iaccho,
Quot Cereri profert Apula terra comas.
Parthenopæa ſinu fert quot bellaria Siren,
Marmora quot durus præſecat alba Ligur.
Te toties jubeo, Laurens, ſalvere, ſecunda
Pars animæ, Laurens, curaque, àmorque meæ.
Cætera laudandus, tantum damnabilis vno hoc,
Laude quod immodicà, me cumulando premis.
Et titulis noſtrum curas volet Æthera Nomen,
Non proprijs proprio vt pondere in ima ruat.
Siccine nunc animo ſummà jaculatus ab arce,
Te fugit aligerum corda ſuperba Deus.
Vt mihi quas tribuis tumefactum laudibus in me,
Fulmina ab Empyreo non ruitura putes?
Deſine jam per, ſi quis amor redamantis amici,
Te juvat, immeritum deſine laude ſequi.
Quid? quod & ingentes iſtic tibi cernere flammas,
Virtutis liceat pectora juncta mihi?
Has decoret cupidus quantum aucupat orbis honorum,
Sitque nefas numeris has tacuiſſe tuis.
Nam quis te ſileat? tua virtus fervida, quem non
Devinctum reddat tempus in omne tibi,
Antoni peramande? animo addictiſſime noſtro,
O laus, o gentis gloria prima tuæ.
Quodve decus pariſem Guevaram dedecet? ambos,
Quiſve

Quiſve Salentinos non decet altus honor?
Quis non Garganum quis non te, cœlice Ioſeph,
Quem celerem lento ſubljcit ales amor.
Tu quoque quo nimium tellus micat Apula, Vincens,
Si quis honor meritis, haud reticendus eris.
Nec duplex dilecta mihi Caſtaldia proles,
Carmine te duplici præterijſſe decet.
Hunc licet, hunc celebres, Laurens dulciſſime, cœtum,
Convenit huic laudis quod tua verba ſonant.
Aſt mihi quid? reddas ſatis eſt ſi gratus amorem;
Suggerit hic calamum ponere Muſa. Vale.

Ad Ioannem Baptiſtam Iuſtinianum, dum Autor in Suburbio D. Petri de Arenà hyemaret.

ELEGIA VI.

LVcibus hybernis mittam vt tibi carmina, luces
O mihi perpetuùs jure colende, petis.
Vatidicaſque ſacro Perrhœbi è vertice Montis,
Ad Petri vt flectam littora poſcis aquas.
Haud fieri id potuiſſe datur nunc temporis: ipſe es,
Si modo non ſtupidus teſtis, & hujus eris.
Aſpice brumali concretas frigore lymphas,
Sternere vt immotum ſub pede littus iter.
Quaque prius teretes agitabant æquora tonſæ,
Stridentes currus, crebraque plauſtra trahi.
Hinc neque fas Pindi eſt latices hauſiſſe canoros,
Quos glaciem in rigidam ſæva coegit hyems.
Quid tu poſſe negans carmen dare, carmina condis?
Sic me nunc tacitus forſitan ipſe roges.
Illa quidem condi ſed non niſi frigida poſſunt,
Temporibus ſtylo conveniente ſuis.
At quæ ſint alacri Phœbi evigilata calore,
Quæque Aganippæo carmina fonte fluant,

Si cupis, illa novo mihi vere repoſcito; ſed jam
Vrget ſcribentem cœna parata. Vale.

De Academicis Soporatis.

ELEGIA VII.

DIcite Pierides quid ducere nomina ſomno,
Tam vigilem viſum eſt ad ſacra veſtra chorum?
Haud temerè id; magnum ſed quid latitare putandum eſt,
Noſtra quod addeceat gaudia Theſpiadas.
En noſtri (neque enim te multa morabimur) hujus,
Quod poſcis, cauſam percipe conſilij.
Somnus habet vigiles, non quo ſub imagine mortis
Membra lacu Stygio ceu madefacta rigent.
Somnus habet vigiles; vigilum ſed quo auſpice capta
Mens cernat miris ſe vigilare modis.
Somnus habet vigiles; ſed quo Latonia proles,
Creditur ereptum deperijſſe virum.
Somnus habet vigiles; ſed quo ſuper Æthera vectis,
Abdita jam liceat cernere cuncta Deûm.
Ecquis tandem? illos ſceleri, vitijſque, jociſque,
Vſque ſoporatos occupat alta quies.
Pervigil in ſomno, fortunatiſſime cœtus,
Quà te cumque ferunt Numina, perge, favent.
Excubiaſque agitans curet Dea fama ſuperſtes
Ne premat æternus nomina tanta ſopor.

In Hendecaſyllaba Pontani.

ELEGIA VIII.

COndita Baianis olim Hendecaſyllaba Thermis,
Lecture, ò jam jam lumina caſta refer.
Non hic Veſtales, non hic quos Delia curat,

Con-

Conſpicias nitidà ducere mente choros.
Sed Venerem, & Bromium, ſed aventem ſolvere turbam,
Helleſpontiaco feſta pudenda Deo.
Scilicet haud vlli fas eſt juga veſtra, Camœnæ,
Scandere, cui ſacris ſtet labra tingere aquis.
Ni ſimul Idalias menti Venus ingerat vndas,
Perdita proh nimium tempora! quid ſupereſt?
Ludicra fœda procul, procul Hendecaſyllaba ſunto.
Non mihi, quæ reſonat turpia, Muſa canat.

In gratiam cujuſdam argumentaturi. Laus aſſertoris, qui eum paucis ante diebus pariter laudaverat.

ELEGIA IX.

IMmeritis meritas laudes jam laudibus, æquum,
Nunc eſſe, vt reddam qui, Philomuſe, putat.
Fallitur, ac toto Cœlo deceptus aberrat,
Quamque ſit ignorat nil tua dicere opus.
Nam tibi quas dederunt ſi quis ſacra Numina dotes
Contendat verbis æquiparare ſuis.
Hic Stellas donare Polo, flammiſque calorem,
Stultus, & æquoribus fundere certat aquas.
Ipſa tibi lingua eſt, fratrum quæ lumina virtus,
In te jam dudum fixa ſtupore tenet.
Hinc mihi ſe ſe illam magis auſcultare loquentem,
Quam verbis temere contemeraſſe juvat.
Adde quod ex noſtro tecum certamine habendo,
Iam jam victuro laus tibi certa manet.
Vlla nec oppoſiti ſpes me temeraria fallit,
Diſcere quæro tuis, non ſuperare meis,

Ad Marcellum Majoranium Acerræ Epiſcopum, de viribus Margaritarum.

ELEGIA X.

QVæ nitido vires concharum è rore lapillo
Sint genito, paucis, candide Præſul, habe.
Sed prius in terris quibus enaſcatur, habendum,
Ne ſecus in pretijs decipiare ſuis.
Barbarus Occiduus legit hunc, legit Indus Eous,
Stant primæ partes, Indice, jure tibi.
Nunc quas indiderit virtutes Iuppiter illi,
Accipe. Cardiacos, Syncopicoſque juvat.
Spirituum obſtructoſque aperit gemma alba meatus,
Pertentat quoties pectora mœror iners.
Tum geminum ſiſtit moribundo in corpore fluxum,
Seu laxum egeſto ſanguine fibra micat.
Seu non digeſtis, propereque fluentibus alvus
Ægra cibis, homini fata ſuprema parat.
Denique ſeu torquet cor fervida febris anhelum
Cogitur hac nocuus linquere corda calor.
Hæ vires patulo naſcentibus æquore gemmis,
Quas dederunt largà Numina diva manu.
Hæ vires, Marcelle, quibus tamen altius eſt, quod
Solerti . . . .

Cetera deſiderantur.

Ad S. Ignatium.

ELEGIA XI

Deeſt principium.

Quo cibus ipſe Dei Divorum fercula paſcar,
Ignatique ignes ignibus ejus edam.

Digitized by Google

Id rogo, ſiqua aures penetrarunt noſtra beatas,
Ignite Ignati, vota aliquando tuas.
Si colit vſque tuos, meritoſque frequentat honores
Stirps noſtra, ò noſtris non leve Numen Avis.
Interea mihi ſint ignes tua verba perennes,
Atque animi panes fortia geſta mei.

Fabij Iordanij Patritij Neapolitani, I. V. D. ac Poetæ tũ Latinà tũ Etruſcà linguà cultiſſimi, in gratiam Gabrielis fratris, Inferiæ.

ELEGIA XII.

Liquerat Aonidum infenſam Dea turba ſororum,
Parthenopen, rauci verba peroſa fori.
Hinc jam Pauſylipi mœrebant littora dudum,
Littora thyrſigero dudum adamata Deo.
Hinc juga celſa patris ſqualebant mœſta Veſevi,
Nubibus, horrendum, ſemper operta cavis.
Ipſeque muſcoſo Sebethus in Æquora ab antro
Segnibus eſt viſus triſtior ire vadis.
Hos patriæ caſus tandem miſeratus acerbos
Pierij Fabius cura, decuſque Chori.
Nuper ab Aſterijs Muſas revocaverat vmbris,
Propitias patrio reddideratque ſolo.
Heu dolor, heu lacrymæ nimis, heu, nimis aſpera fata!
Heu ſemper magnis invida fata viris!
Dum Muſas, Phœbumque colit, coliturque viciſſim,
Dilectumque fovet docta Minerva ſinu.
Vivere pro meritis nullo non tempore dignum,
Improba mors Fabium præproperata rapit.
Auratas jam velle comas, mœſtiſſima Siren,
Perque duplex teneras decidat amne genas.
En obeunt, obeunte tibi, tibi reddita vate,
Quæ fuerant vivo Numina viva tuo.

Pro-

Einſdem Argumenti.

ELEGIA XII.

PRomiſſum gens lecta Deo jam functa periclis
Dum peteret Patrio Numine ducta ſolum.
Amnis Idumei, Pontum vt diviſerat olim,
Omnipotens ſecuit rauca fluenta manus.
Moxque abiens pars ima fluit, pars conſtitit alveo,
Inque ſuum lapſa eſt vnda retorta caput.
Haud ſecus in geminas ab eodem numine partes
Iordanius propero funere ſectus obit.
Ilicet ac matrem repetit pars altera priſcam,
Altera ſupremum, prodijt vnde, Patrem.
Sed quàm nunc cumulat diviſo Iordane quondam
Iordanium fato nobiliore Deus?
Ille retrò properat, vix vna at luce relapſus
Iam peragit ſolitas fluxilis vnda vias.
At Fabij mens plena Deo, niſi carmina fallunt,
Æterno vitæ flumine merſa natat.
Quin erit ipſa animo cum jam caro juncta fruatur
Perpetuos Chriſto vivificante dies.

Sequitur Argumentum.

ELEGIA XIII.

VExerat auratis dudum fama ardua pennis
Caucaſeis Fabium, quà tumet Indus aquis.
Quaque fluens rapidis vix non Tagus æmulus vndis
Irruit Occiduo læta per arva mari.
Vexerat, vt vitam vità cumularet eundo,
Dum nomen toto perſonat orbe ſuum.
Cum ſubitò indignans meritum bis vivere, vitæ, heu,

Stamina corporeæ mors truculenta ſecat.
Quid facis, ah, quid amara? ſacros quid ſpicula in artus
Intorques? avidos quid ſtruis atra rogos?
Vita quidem erepta eſt, triſti quæ debita fato,
Æthereo mentem non dabat axe frui.
Aſt hæc Empyreo gaudet jam vecta coruſco
Æternum legis ſpernere jura tuæ.
Sic Fabio quod ſæva negas dant Sydera: duplex
Poſt fera ſic potior funera vita ſibi eſt.

De ejuſdem obitu.

EPIGRAMMA.

PRiſcorum æternus Fabiorum fata trecentum
Altiſono cecinit carmine Naſo diu.
Sic Fabij novus ipſe novi nova fata retexo,
Exigui vates nominis, vt numeri.
Carmina materie ſuperantur noſtra, fatemur,
Flumineæ Ponto quam ſuperantur aquæ.
Sed juſſum cecinisse, atque impar carmine fatum
Sit fas imparibus me retuliſſe modis.

COrniger Aſtri ferâ jam ne ſub imagine Olympo
Se quondam illatum perſtrepat Eridanus.
Longe etenim Iordanis erit nova nomina deinceps
Majus in Empyrea perſonuiſſe domo.

IOrdanij fato erepti dum flente Camœna
Exiguis texo funera acerba modis.
Audit, & æſtivo Iordani, ſtulte, quid, inquit
Delius increpitans, addere tendis aquas.
Ipſe ſibi æqua laus, tribuet ſua funera functo
Vivere perpetuos gloria parta dies.

Theſ-

DISTICHON.

THeſpiadas terris quid adhuc exquiritis? illas
En Fabius ſecum nuper in aſtra tulit.

DISTICHON.

ABſentes Muſas patriæ qui advexerat vrbi
Nunc orbi ad ſuperos ipſe revectus abeſt.

Pro Fratre.

DISTICHON.

DIcere dum fratris ſtatuo pia funera, frater,
Aggredior, vetuit promere verba dolor.

In Tumulum Scipionis Valeſij Patritij Neapolitani.

EPIGRAMMA.

HOſpes, ſiſte gradum, ſaxa ante rigentia. Quam ob rem?
Scipio namque vrna hac contumulatur. Vter?
Num minor? an major? Neuter. Quinam ergo! ſibi ipſi
Qui menti imperitans, major vtroque fuit.
Stemmate quo clarus? Gallorum dicere fas eſt
Regum, ſed quorum Muſa aperire vetat.
Ingeminatque cave cave promas Valeſiorum,
Tempore nam conſtat ſyllaba prima brevi.
Vt grandævus obit? Primo, heu, ſub flore juventæ,
Tam citò quid cumulant aſpera fata rogos?
Lubrica Neſtoreo ſuperantem tempora ſenſu,
Hunc rata ſunt canà quod probitate ſenem.

In Tumulum Philippi Vicecomitis Patritij Mediolanenſis.

EPIGRAMMA.

NE patriam invadant diræ mala ſemina peſtis,
Vercellas ducens carpitur vnde via.
Dum ſatago, ſervoque urbis dum limina cuſtos,
Quà decet, impigrà ſedulitate vigil.
Arceo quendam aditu, Mars hinc vocat aſper ad arma.
Fulmineâ foditur tum mihi glande latus.
Sic pereo, nec fata queror; præclarius eſt nil
Quàm patria civem pro pietate mori.
Pergrave, ſed mortem cæſo perimente quod vltus,
Eſt virtus facti pœnituiſſe, cado.
Tu monitus Vice dei Comiti vt Deus aſtra Philippo
Iam rogo te, ſupplex qui legis iſta, roga.

In obitum Sigiſmundi Regis Poloniæ.

DISTICHON.

MVtavit Regnum, haud fatum Siſmundus obivit,
Regnabat terris, regnat iu Empyreo.

De Amore.

EPIGRAMMA.

PErditus vt Numen, quem percolit orbis Amorem
Tu mihi vera canens dic, rogo, Muſa, quid eſt?
Sic ego, cui roſeo verax ſic ore Thalia.
Eſt nil, crede, aliud, quam niger humor Amor.

Digitized by Google

De eodem Leoninum.

DISTICHON.

BElla ferunt bellæ, properataque fata puellæ:
Non dat Amor pacem, ſed ſine fine facem.

In Ioannem Matthæum Thoſcanum, Ligures ob cadem Bonfadij ſceleſtos vocantem.

EPIGRAMMA.

BOnfadium infando Ligures pro crimine dudum
Damnarunt capitis, pectora juſta, Patres.
Arguit hos ſceleris, laudat Thoſcanus at illum,
Iuſque putat ſanctum, proh ſcelus! eſſe nefas.
Siccine, nec pudor eſt, te pectoris indige Vates,
Quem fas, juſque necant, concelebraſſe virum?
Illius vt numeros, infandaque crimina laude,
Idque probos damnans proſequerere pari?
. . . . quis te furor impulit? aut quod
Mentem agit in præceps fel furiale tuam?
Bonfadij, mihi crede, caput qui laudat adempti,
Damnat & hinc Ligures, non habet ille caput.

Martialis, quo amicis eſſe donandum probat.

EPIGRAMMA.

CAllidus effractà nummos fur auferet arcà,
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor vſuram pariter, ſortemque negabit.
Non reddet ſterilis ſemina jacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amicus;

 Mer-

Mercibus inſtructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis.
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Reſponſio.

EPIGRAMMA.

Eſto donandum ſit amicis, Marce, ſed (oro
Te) quis jam tanto nomine dignus erit?
Num qui ſe verbis Pyladen, ſe vendit Horeſten;
Cuilibet? at verbis quidlibet eſſe licet.
An, qui dum ventis ludit fortuna ſecundis,
Se comitem fauſta jungere puppe ſolet?
Sic tibi junctorum grato eſt jam pectore primus
Eſt pellax, pellex ſic quoque amica tibi.
Aſt erit ille, vices, adverſaque fata ſodalis
Qui ſubit, & miſero fert miſeratus opem.
Vix vnum, atque alium pepererunt ſecula talem.
Nunc habet id veluti fabula priſca fidem.
Quid ſtatuendum ergo? tibi ſaxo, aut ſtipite amicum
Cudito; quas dabis huic, ſemper habebis opes.

In Ludum Teſſerarum. Ad P. M.

Sperne, precor, ludum; Princeps clariſſime: Ludus
Ludicra dum præfert, ſerius vſque nocet.
Pungitur enſe latus confictis teſſera punctis,
Corpora, res, animos, & bona cuncta necat.

Ad Paulum Toloſam Concionatorem.

QVo Tharſus nato fulget, quem maximus orbis
Indigetem celebrat Relligione Patrem.
Hunc tu; Paule, ſequens, ipſo tibi Numine Pauli

Auſpi:

Auſpice præſtiteras nomine, mente, manu.
Ecce Deum, ecce Dei jam ſuggeris ardua; quidni
Sic vox ipſe Poli, ſic tuba Paulus erat?

Idem aliter.

PRæſtiteras quem mente diu, quem nomine Paulum,
Dum populis Chriſtum ſuggeris, ore refers.

Ad Angelum Grylum Poetam de eius Ode adverſus Pulcritudinem.

EPIGRAMMA.

CArmine dum formam, quo non formoſius vllum
Informem ſatagis reddere, Grylle, tuo.
Fama volat pulcrum tua formoſiſſima in orbem,
Format & informes turpia corda viros.
Formoſamque agat vt mentem formoſus Apollo,
Hinc typus, hinc ſpecimen, pulcraque forma patent.
Iamque ſtupens tua quiſque legit mox talia fatur
An licet Angelico pulcrius ore loqui?

Ad Robertum Bellarminium de ejus opere adverſus Hæreſes.

EPIGRAMMA.

NOmine quod robur proprio, bella, arma, minaſque,
Nomine quod ſtirpem ſignificante refers.
Æthereo quiſquis factum id ſine Numine retur,
Hoc legat (ingenui ſi modo cordis) opus.
Ilicet hæreſeon, dum ferris in agmina, cernat
Robore quo tentes prælia, quamque minax.
E Pharetris ſeu lecta Patrum tela aſpera torques,
Seu jacis ingenio ſpicula parta tuo.
Amphitrioniadem fallax jactare vetuſtas

Deſinat, & Cœlo credere vana Deum.
Verè namque recens Orco, mônſtriſque ſubactis,
Quem fulcis calamo dant tibi geſta Polum.

Ad Thomam Montium Concionatorem.

EPIGRAMMA.

MOntem ſtirpe refers, ſacro fers nomine abyſſum
Nobile quàm ſummis infima jungere opus?
Hoc agis ipſe tuis vt ſtirpe, vt nomine verbis,
Et cum celſa petas, tu tamen ima petis.
Iam tibi dicendum eſt, nil te ſublimius, ore
Dum referas ſummi templa beata Poli.
Terrificus vice ſed versa dum tartara pandis,
Tartara terrificum per nigra tendis iter.
Parva cano, & ſtygijs ſimul, & verſaris in Æthrà
Fert ſtyga vox, animum Sydera ſumma tenent.
Imus es ergo idem mons, & ſublimis abyſſus.
Quid mirum mira hæc ſi tua quiſque ſtupet?

Ad Dionyſium Lanfrancum, qui Epigramma conſcripſerat in laudem Poematis Scipionis Montij de novo Alexandro, ideſt Georgio Scanderbego.

EPIGRAMMA.

NVper Alexandrum numeris celebraſſe recentem
Extitit vt magni nobile vatis onus,
Sic quoque vatis erat (vates celeberrime) magni
Carminibus dici carmina digna tuis.
Abſtulit excelſi dux vectus in ardua montis
Armiger armigero jam Deus, aſtra Deo.
Tu duce bella novo nova dum canis acta canentem,
Sol novus, & priſco major in orbe micas.

Ad

Ad Amicum qui in Elegia de ſomno primam lenitatis *corripuerat.*

LEN, niſi producas, non leniter ictus ab ipſo
Verberibus Pindi corripiere Deo.

Ad eundem de eadem.

INgentes, peramande, reddo grates;
Majores habeo tuis Camœnis,
Cultis, ac nitidis tuis Camœnis,
Feſtivis, lepidiſſimis Camœnis,
Quas moris ſtudio mihi gerendi
Admiſſos elegos vocaſſe narras.
Aſt fratri hanc veniam dabis monenti;
Dum laudas Erebi ſatum tenebris
Vt primâ vſus es oro lenitatis
Vtare in numeris, cave, Poeta:
Hoc vates cavet omnis, hoc verendus
Horret Delius, hoc vetant Scatebræ,
Quas olim ſonipes dedit perennes
Natus Gorgonis aliger cruore,
Et tandem hoc prohibent novem ſorores;
Quas nuper mihi gratiâ placendi
Ad cultos numeros vocaſſe narras.
LEN, ergo (hanc veniam dabis) monenti,
Correptam haud legitô canendo ſomnum,
Ne ſis numinibuſque, vatibuſque
Correptus nimio, Poeta ſomno.

Ad Dionyſium Lanfrancum.

RVdes prototomos inemta dona
Rudis cultiloquo Poeta vati,
Noſtro ſed lepidiſſimo ſodali,

Et

De Camillo Martinengo Brixiano Bononiæ defuncto.

EPIGRAMMA III.

BRixia me genuit, rapuit ſibi Felſina, quinos
Vix annos dederas, Atrope ſæva, quater.
Martinengus eram genus alto à Marte, Camillus,
Debueram, patria bella ſub arte, ſequi.
Sed mihi dum Pallas monſtrat civilia jura,
Invidit Mavors, neutrius atque fui.

In eventum Mantuæ factum.

EPIGRAMMA IV.

SVnt Pater, & natus; fugit hic, ne vapulet, ille,
Vt feriat, ſequitur: nec procul inde lacus.
Effugiens patrem procurrit natus in vndas,
Quem modo, vt eripiat, jam pater inſequitur.
Filius haud credens, velut ante, paveſcit, & vndas
Patre ſequente magis, dum fugit, ingreditur.
Dum timet ergo patrem natus, nato pater atque
Is fugit, hic ſequitur, merſus vterque lacu eſt.

Ioannis Caſarij Epitaphium.

EPIGRAMMA V.

QVisquis es, hic orat, ſi libet, legas ſilex,
Fletuque parcas, ſi pius potes, monet.
Situs Ioannes hic jacet Caſarius,
Cui vita nomen dederat innocentium
Genere, propinquis, moribus clarum ſuis.
Invidiæ ferro quem impulit neci datum

Cor-

Corpus parenti reddere, Deo ſpiritum.
Fleat omne decus, heu, mage ſed innocentia.

De eventu Bononiæ obſervato.

EPIGRAMMA VI.

ROranti coluber paſſim dum volvitur herbâ,
Interemit cochleam, quæ tamen vlta necem.
Nanque malum ſenſit cum dentis, inhorruit in ſe
Occultans hoſtis cauta, ſuumque caput.
Sic ambo obnixa vice dum luctantur, adempti
Aeris hic cauſa, vulneris illa perit.

Incerti.

DISTICHON.

QVærere ceſſavi nunquam, nec perdere deſi
Mors intervenit, nunc ab vtroque vaco.

Romæ in obeliſco.

DISTICHON.

SI lapis eſt vnus, dic quâ fuit arte levatus?
Si duo, vel plures, dic vbi congeries?

FINIS.

BIBLIOTECA NA[illegible] ROMA

In Tumulum Philippi Vicecomitis Patritij Mediolanenſis.

EPIGRAMMA.

NE patriam invadant diræ mala ſemina peſtis,
Vercellas ducens carpitur vnde via.
Dum ſatago, ſervoque urbis dum limina cuſtos,
Quâ decet, impigrà ſedulitate vigil.
Arceo quendam aditu, Mars hinc vocat aſper ad arma.
Fulmineà foditur tum mihi glande latus.
Sic pereo, nec fata queror; præclarius eſt nil
Quàm patria civem pro pietate mori.
Pergrave, ſed mortem cæſo perimente quod vltus,
Eſt virtus facti pœnituiſſe, cado.
Tu monitus Vice det Comiti vt Deus aſtra Philippo
Iam rogo te, ſupplex qui legis iſta, roga.

In obitum Sigiſmundi Regis Poloniæ.

DISTICHON.

MVtavit Regnum, haud fatum Siſmundus obivit;
Regnabat terris, regnat iu Empyreo.

De Amore.

EPIGRAMMA.

PErditus vt Numen, quem percolit orbis Amorem
Tu mihi vera canens dic, rogo, Muſa, quid eſt?
Sic ego, cui roſeo verax ſic ore Thalia.
Eſt nil, crede, aliud, quam niger humor Amor.

De

De eodem Leoninum.

DISTICHON.

BElla ferunt bellæ, properataque fata puellæ:
Non dat Amor pacem, ſed ſine fine facem.

In Ioannem Matthæum Thoſcanum, Ligures ob cadem Bonfadij ſceleſtos vocantem.

EPIGRAMMA.

BOnfadium infando Ligures pro crimine dudum
Damnarunt capitis, pectora juſta, Patres.
Arguit hos ſceleris, laudat Thoſcanus at illum,
Iuſque putat ſanctum, proh ſcelus! eſſe nefas.
Siccine, nec pudor eſt, te pectoris indige Vates,
Quem fas, juſque necant, concelebraſſe virum?
Illius vt numeros, infandaque crimina laude,
Idque probos damnans proſequerere pari?
. . . . quis te furor impulit? aut quod
Mentem agit in præceps fel furia le tuam?
Bonfadij, mihi crede, caput qui laudat adempti,
Damnat & hinc Ligures, non habet ille caput.

Martialis, quo amicis eſſe donandum probat.

EPIGRAMMA.

CAllidus effractà nummos fur auferet arcà,
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor vſuram pariter, ſortemque negabit.
Non reddet ſterilis ſemina jacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amicus;

 Mer-

Mercibus inſtructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis.
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Reſponſio.

EPIGRAMMA.

Eſto donandum ſit amicis, Marce, ſed (oro
Te) quis jam tanto nomine dignus erit?
Num qui ſe verbis Pyladen, ſe vendit Horeſten;
Cuilibet? at verbis quidlibet eſſe licet.
An, qui dum ventis ludit fortuna ſecundis,
Se comitem fauſta jungere puppe ſolet?
Sic tibi junctorum grato eſt jam pectore primus
Eſt pellax, pellex ſic quoque amica tibi.
Aſt erit ille, vices, adverſaque fata ſodalis
Qui ſubit, & miſero fert miſeratus opem.
Vix vnum, atque alium pepererunt ſecula talem.
Nunc habet id veluti fabula priſca fidem.
Quid ſtatuendum ergo? tibi ſaxo, aut ſtipite amicum
Cudito; quas dabis huic, ſemper habebis opes.

In Ludum Teſſerarum. Ad P. M.

SPerne, precor, ludum, Princeps clariſſime: Ludus
Ludicra dum præfert, ſerius vſque nocet.
Pungitur enſe latus confictis teſſera punctis,
Corpora, res, animos, & bona cuncta necat.

Ad Paulum Toloſam Concionatorem.

QVo Tharſus nato fulget, quem maximus orbis
Indigetem celebrat Relligione Patrem.
Hunc tu, Paule, ſequens, ipſo tibi Numine Pauli

Auſpi-

Auſpice præſtiteras nomine, mente, manu.
Ecce Deum, ecce Dei jam ſuggeris ardua; quidni
Sic vox ipſe Poli, ſic tuba Paulus erat?

Idem aliter.

PRæſtiteras quem mente diu, quem nomine Paulum,
Dum populis Chriſtum ſuggeris, ore refers.

Ad Angelum Grylum Poetam de eius Ode adverſus Pulcritudinem.

EPIGRAMMA.

CArmine dum formam, quo non formoſius vllum
Informem ſatagis reddere, Grylle, tuo.
Fama volat pulcrum tua formoſiſſima in orbem,
Format & informes turpia corda viros.
Formoſamque agat vt mentem formoſus Apollo,
Hinc typus, hinc ſpecimen, pulcraque forma patent.
Iamque ſtupens tua quiſque legit mox talia fatur
An licet Angelico pulcrius ore loqui?

Ad Robertum Bellarminium de ejus opere adverſus Hæreſes.

EPIGRAMMA.

NOmine quod robur proprio, bella, arma, minaſque,
Nomine quod ſtirpem ſignificante refers.
Æthereo quiſquis factum id ſine Numine retur,
Hoc legat (ingenui ſi modo cordis) opus.
Ilicet hæreſeon, dum ferris in agmina, cernat
Robore quo tentes prælia, quamque minax.
E Pharetris ſeu lecta Patrum tela aſpera torques,
Seu jacis ingenio ſpicula parta tuo.
Amphitrioniadem fallax jactare vetuſtas

Deſinat, & Cœlo credere vana Deum.
Verè namque recens Orco, mõnſtriſque ſubactis,
Quem fulcis calamo dant tibi geſta Polum.

Ad Thomam Montium Concionatorem.

EPIGRAMMA.

MOntem ſtirpe refers, ſacro fers nomine abyſſum
Nobile quàm ſummis infima jungere opus?
Hoc agis ipſe tuis vt ſtirpe, vt nomine verbis,
Et cum celſa petas, tu tamen ima petis.
Iam tibi dicendum eſt, nil te ſublimius, ore
Dum referas ſummi templa beata Poli.
Terrificus vice ſed verſa dum tartara pandis,
Tartara terrificum per nigra tendis iter.
Parva cano, & ſtygijs ſimul, & verſaris in Æthrà
Fert ſtyga vox, animum Sydera ſumma tenent.
Imus es ergo idem mons, & ſublimis abyſſus.
Quid mirum mira hæc ſi tua quiſque ſtupet?

Ad Dionyſium Lanfrancum, qui Epigramma conſcripſerat in laudem Poematis Scipionis Montij de novo Alexandro, ideſt Georgio Scanderbego.

EPIGRAMMA.

NVper Alexandrum numeris celebraſſe recentem
Extitit vt magni nobile vatis onus;
Sic quoque vatis erat (vates celeberrime) magni
Carminibus dici carmina digna tuis.
Abſtulit excelſi dux vectus in ardua montis
Armiger armigero jam Deus, aſtra Deo.
Tu duce bella novo nova dum canis acta canentem,
Sol novus, & priſco major in orbe micas.

Ad

Ad Amicum qui in Elegia de ſomno primam lenitatis *corripuerat.*

LEN, niſi producas, non leniter ictus ab ipſo
Verberibus Pindi corripiere Deo.

Ad eundem de eadem.

INgentes, peramande, reddo grates;
Majores habeo tuis Camœnis,
Cultis, ac nitidis tuis Camœnis,
Feſtivis, lepidiſſimis Camœnis,
Quas moris ſtudio mihi gerendi
Admiſſos elegos vocaſſe narras.
Aſt fratri hanc veniam dabis monenti;
Dum laudas Erebi ſatum tenebris
Vt primà vſus es oro lenitatis
Vtare in numeris, cave, Poeta:
Hoc vates cavet omnis, hoc verendus
Horret Delius, hoc vetant Scatebræ,
Quas olim ſonipes dedit perennes
Natus Gorgonis aliger cruore,
Et tandem hoc prohibent novem ſorores;
Quas nuper mihi gratià placendi
Ad cultos numeros vocaſſe narras.
LEN, ergo (hanc veniam dabis) monenti,
Correptam haud legitò canendo ſomnum;
Ne ſis numinibuſque, vatibuſque
Correptus nimio, Poeta ſomno.

Ad Dionyſium Lanfrancum.

RVdes prototomos inemta dona
Rudis cultiloquo Poeta vati,
Noſtro ſed lepidiſſimo ſodali.

Et culto mihi ſemper, & colendo
Pluſquam pectore perlibente mitto.
Hæc tibi modo, non adhuc repleto,
Ne non ſint placitura nil veremur,
Ipſa quandoquidem his tenella dudum
Pavit teque, tuo ſinuque blando
Siren Parthenope viret quot annis.
Quarè jam decus o, nitorque vatum,
Et noſtrum decus, & decus tuorum,
Quas nunc delicias damus libentes
Libens accipe lætus, ac vorato
Rudes prototomos inemita dona.

Ad Bernardum Ferrarium

FErrari, Ligurum jubar perenne.
. . . .
Cetera deſiderantur.

FINIS.

AVRELII BRIXIENSIS CANONICI REGVLARIS Ordinis Divi Aurelij Auguſtini EPIGRAMMATA QVÆDAM.

Ad Franciſcum Bovium.

EPIGRAMMA I.

CVm Iove digna geras, cur traxeris à Bove nomen;
Dic, Franciſce, mihi, ſi potes, ac peramas?
Bos arat, imbre ſuo fœcundat Iuppiter arva,
Conveniunt vitæ quid tamen iſta tuæ?
Sed dator ingenij, ac morum eſt quoque Iuppiter; ergo
Nolo ego te Bovium dicere, ſed Iovium.

In quoſdam tantum canentes.

EPIGRAMMA II.

VOs Oriens Phœbus, vos cum ſe condit in vndas,
Vos mediam Cœli cum tenet, ille viam;
Arte figuratis rumpentes cantibus auras
Spectat, & à curſu pene moratur equos.
Quod, niſi ſit Samij ſententia falſa magiſtri,
In pecus humanas ire viciſſim animas.
Argutas quondam migraſſe in veſtra cicadas
Membra, vel has eadem mox ſubitura, puto.

De

De Camillo Martinengo Brixiano Bononiæ defuncto.

EPIGRAMMA III.

BRixia me genuit, rapuit ſibi Felſina, quinos
Vix annos dederas, Atrope ſæva, quater.
Martinengus eram genus alto à Marte, Camillus,
Debueram, patria bella ſub arte, ſequi.
Sed mihi dum Pallas monſtrat civilia jura,
Invidit Mavors, neutrius atque fui.

In eventum Mantuæ factum.

EPIGRAMMA IV.

SVnt Pater, & natus; fugit hic, ne vapulet, ille,
Vt feriat, ſequitur: nec procul inde lacus.
Effugiens patrem procurrit natus in vndas,
Quem modo, vt eripiat, jam pater inſequitur.
Filius haud credens, velut ante, paveſcit, & vndas
Patre ſequente magis, dum fugit, ingreditur.
Dum timet ergo patrem natus, nato pater atque
Is fugit, hic ſequitur, merſus vterque lacu eſt.

Ioannis Caſarij Epitaphium.

EPIGRAMMA V.

QVisquis es, hic orat, ſi libet, legas ſilex,
Fletuque parcas, ſi pius potes, monet.
Situs Ioannes hic jacet Caſarius,
Cui vita nomen dederat innocentium
Genere, propinquis, moribus clarum ſuis.
Invidiæ ferro quem impulit neci datum

Cor-

Corpus parenti reddere, Deo ſpiritum.
Fleat omne decus, heu, mage ſed innocentia.

De eventu Bononiæ obſervato.

EPIGRAMMA VI.

ROranti coluber paſſim dum volvitur herbâ,
Interemit cochleam, quæ tamen vlta necem:
Nanque malum ſenſit cum dentis, inhorruit in ſe
Occultans hoſtis cauta, ſuumque caput.
Sic ambo obnixa vice dum luctantur, adempti
Aeris hic cauſa, vulneris illa perit.

Incerti.

DISTICHON.

QVærere ceſſavi nunquam, nec perdere deſi
Mors intervenit, nunc ab vtroque vaco.

Romæ in obeliſco.

DISTICHON.

SI lapis eſt vnus, dic quâ fuit arte levatus?
Si duo, vel plures, dic vbi congeries?

FINIS.

BIBLIOTECA NA... ROMA ...

Vidit D. Ioſeph Cribellus Cleric. Regul. Congr. S. Pauli, & in Metropolit. Bonon. Pœnit. pro Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Card. Boncompag. Archiepiſc. Bononiæ, & Principe.

Pro Reuerendiſs. P. Inquiſitore Bononiæ perlegi Carmina Ioannis Gandulphi, & eiuſdem Paraphraſim Leoninam in Catonem. Item Carmina Marcellini Genuenſis, & Aurelij Brixienſis in hoc Volumine contenta, & nihil reperi inconſonum Fidei Catholicæ, & bonis moribus incongruum.

D. Ioannes Antonius Victorius Archipreſb. I. V. D.

Imprimatur

Fr. Marcellus Gherardus à Diano Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſt. & Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google